Museum Odescalchum, sive thesaurus antiquarum gemmarum cum imaginibus in iisdem insculptis, et ex iisdem exsculptis, quæ a serenissima Christina Svecorum regina collectæ in Museo Odescalcho adservantur / et a Petro Sancto Bartolo qvondam incisæ, nunc primum in lucem proferuntur. Accesserunt ærea deorum, ac dearum idola, marmorea item anaglypha, monumentaque alia plura, quibus explanationes una cum indicibus locupletissimis adjectæ sunt ... [Anon].

Contributors

Bartoli, Pietro Santi, 1635-1700.
Odescalchi, Livio, 1652-1713.
Christina, Queen of Sweden, 1626-1689.
Galeotti, Niccolò, 1692-1758.

Publication/Creation

Romæ : Sumptibus Venantii Monaldini. Ex typographia Sancti. Ignatii. Excudebat Joannes Generosus Salomoni, 1751-1752.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/crcxa87n

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

22866/D

GALEOTTI, Niccolo

MUSEUM
ODESCALCHUM.

MUSEUM
ODESCALCHUM.

MUSEUM ODESCALCHUM, SIVE THESAURUS ANTIQUARUM GEMMARUM

CUM IMAGINIBUS IN IISDEM INSCULPTIS, ET EX IISDEM EXSCULPTIS,

QUÆ A SERENISSIMA CHRISTINA SVECORUM REGINA COLLECTÆ IN MUSEO ODESCALCHO ADSERVANTUR,

ET A PETRO SANCTE BARTOLO

QUONDAM INCISÆ,

NUNC PRIMUM IN LUCEM PROFERUNTUR.

ACCESSERUNT ÆREA DEORUM, AC DEARUM IDOLA, MARMOREA ITEM ANAGLYPHA, MONUMENTAQUE ALIA PLURA, QUIBUS OMNIBUS EXPLANATIONES UNA CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS ADJECTÆ SUNT.

TOMUS PRIMUS.



ROMÆ MDCCLI.

SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.

EX TYPOGRAPHIA SANCTI IGNATII.

EXCUDEBAT JOANNES GENEROSUS SALOMONI.

PRÆSIDUM FACULTATE.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. LIVIO ODESCALCHI

S. R. I. PRINCIPI SIRMII, BRACCIANI, ET CÆRITIS DUCI &c.



VENANTIUS MONALDINI BIBLIOPOLA
D. D. D.

PERPERAM omnino facerem, si Muſeum, quod a Familia tua nobiliſſima cognomentum accepit, novis nunc explicationibus illu-

a ſtra-

ſtratum non tuo potiſſimum Nomini dicatum vellem. Quicquid veterum hîc Monumentorum profertur, id omne D. Livio Proavo tuo clariſſimo Sirmii & Bracciani Duci acceptum referimus, qui ut artium liberaliſſimarum fautorem eximium ſe præbuit, ita ſumptui non parcendum eſt ratus, ut, quæ ad illarum ſtudia exercenda magno uſui eſſe poſſent, Petri Sanctis Bartoli Calchographi peritiſſimi opera ante oculos univerſæ poſteritatis proponeret. Atque hæc hæreditas illa eſt maxima præ aliis putanda, quæ primum ad D. Balthaſarem Parentem tuum egregium, atque optimum, deinde ad Te ipſum pervenit, mirifica nimirum ad bene de litteraria Republica merendum propenſio, quæ a multarum præſtantiſſimarumque virtutum comitatu diſjuncta eſſe non ſolet. Quare quotieſcumque ad te animum refero, non equidem generis antiquitatem, non divitiarum copiam, non ſplendidiſſi-

mas

mas cognationes admiror. Alia ſunt, longeque majora ornamenta, quæ Tua omnino ſunt, & ad te vere pertinent, quibuſque te maxime præditum non ſolum nos, qui Romæ adſumus, ſed exteræ quoque nationes viderunt. Cum enim ab ineunte ipſa ætate florentiſſimas Italiæ, ac Germaniæ Urbes percurreres, teque in ipſam Cæſaris, Reginæque Auguſtiſſimæ Regiam conferres, quotus quiſque fuit, cui admirationem non moverit tantam eſſe in adoleſcente plane homine continentiam, tantam in rebus omnibus officii religionem, tantam denique animi gravitatem, atque conſtantiam, quantam in corroborata jam ætate ſperare vix quiſquam poſſet? Hæc Te Sanctiſſimi illius Pontificis, Venerabiliſque Servi Dei Innocentii XI. abnepotem eſſe coarguunt, & propter quæ non Romani ſolum Optimates, ſed etiam Advenæ nobiliſſimi quique Te charum habent, ſuaviſſimaque conſuetudine Tua tantopere delectantur.

tur. Neque vero non hoc adoleſcentiæ tam laudabiliter traductæ fuiſſe præmium exiſtimo; quod in matrimonium D. Mariam Victoriam Clementis XII. pronepotis filiam, feminamque ſpectatiſſimam duxeris, quæ Corſinæ Familiæ decora tantis in Tuam divinitus collatis muneribus cumulans Heroum Tibi Sobolem, & Gentis utriuſque majoribus quamſimillimam propagaret. Hæc certè omnia cum ſummam Tibi gratiam, & authoritatem apud ſapientes viros conciliant; tum dici vix poteſt, quam magnam mihi quoque ſpem faciant fore, ut induſtriæ hujus mihi pænitendum non putem. Etenim ſiqui ſunt magis politulo, ac delicatulo ingenio, quique faſtidioſius de alienis operibus judicent, eoſdem, ubi volumen hoc Tuis inſignibus decoratum aſpiciant, pudebit fortaſſe quidpiam in eo, quamvis reprehenſione dignum, reprehendere, poſteaquam a Te non modo non improbatum, ſed quaſi

ratum

ratum habitum eſſe ſenſerint. Supereſt igitur, ut pro Tua ſingulari erga me humanitate, quantas maximas poſſum gratias Tibi nunc agam, meque in poſterum habiturum pollicear; illudque te orem atque obſecrem, ut beneficium, quo me in præſens devincis, tueri etiam velis; benigneque facere, ſi qua in re opus fuerit, mihi pergens præſtantem iſtam animi erga me voluntatem conſerves.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinop. Vicesg.

CUM jussu Reverendissimi P. Fr. Augustini Orsi Sac. Palatii Apostolici Magistri librum inscriptum *Musæum Odescalchum &c.* attentè perlegerim, nec quicquam in eo aut Catholicæ Fidei absonum, aut bonis moribus adversum offenderim, sed potius non levi labore elucubratum, & multigena eruditione refertum deprehendam dignum censeo, ut publica luce donetur. Die 1. Februarii 1751.

Antonius Baldanus ab intimo SSmi Dni Nostri Sacello.

IMPRIMATUR.

Fr. Joseph Augustinus Orsi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

NICOLAUS GALEOTTI E SOC. JESU.

§. I.

Commentarii hujus occasio, argumentum, atque partitio. [1]

MUSEUM hoc, quod magna ex parte Gemmas rariores a Christina Svecorum Regina olim collectas, & deinde a D. Livio Odescalco Sirmii, & Bracciani Duce, Sanctissimique Innocentii XI. Fratris filio possessas complectitur, multis abhinc annis debuerat in lucem edi. Ejus jam monumenta singula peritissimus artifex Petrus Sanctes Bartoli æreis lamellis inciderat, suasque unicuique adnotatiunculas Italico sermone conscriptas [2] P. Felicianus Bussi ex Ordine Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis adjecerat. Sed quod ii, quorum hoc maxime intererat, vel paulo copiosiores, vel etiam Latinas mallent; nescio quomodo factum est, ut in publicum prodierint numquam, operisque totius retexendi consilium ad hæc usque tempora prolatum fuerit. Anno enim solum proxime elapso D. Henricus Brulæus natione Gallus, Patria Rhemensis & Academiæ Cortonensis Socius præstanti vir ingenio, idemque magna in rebus antiquis intelligentia, atque studio Venantii Monaldini Bibliopolæ celeberrimi, & de litteraria Republica optime meriti rogatu hujusmodi laborem susce-

(1) *Suasu Rmi P. Jo: Antonii Bianchi minoritæ S. Officii Consultoris, doctrinaque, eruditione, atque editis in lucem libris clarissimi præfationem hanc in particulas lemmatis adscriptis distribui, ut legentibus gemmæ uniuscujusque notitia magis in promptu esset.*

(2) *Scripsit rerum Viterbiensium Historiam, Romæque obiit anno 1747.*

susceperat. Sed cum florente adhuc ætate gravi diuturnoque morbo consumptus non amplius quam quadraginta sex Tabulas confecisset; ad meventum est, ne Opus intermitteretur, quod existimabatur harum litterarum studiosis utilitatem aliquam afferre posse. Equidem quamquam in hoc doctrinæ genere non inexercitatus planè sum, quippe cum argumenta non dissimilia sæpius in ipsis Pontificiis Ædibus coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. tractaverim; numquam tamen hoc mihi sumpseram, ut, quæ privatim de hisce rebus conscripsissem, in oculis, conspectuque legentium exponerem. Verum, ut impositum mihi onus reciperem, plurimum apud me [1] amicorum gravissimorum authoritas valuit; præsertim cum illos tanta doctrina præditos, tantaque erga me benevolentia esse cernerem, ut in tantis tenebris, quæ hisce sæpe rebus offusæ esse solent facile mihi libentique animo lumen ingenii, & consilii sui mihi porrecturos confiderem. Hac igitur spe ipse fretus, tantumque enitens, quantum efficere me vix posse credideram, ad operis totius partitionem jam venio. Quæ quidem hujusmodi erit, ut in prima parte gemmas cum imaginibus & in iisdem insculptis, & ex iisdem exsculptis; in altera ærea Deorum, vel etiam hominum, & animantium Idola; in tertia denique ectypas quasdam e marmore, sive anaglypticas, quas vocant, effigies collocem. Ut autem legentium commoditati consuleremus, hæc monumenta ipsa in duas sectiones, sive tomos digessimus: in quorum primo gemmas illas, ubi capita solum, vel protomæ apparent, in altero vero reliqua omnia, quæ supra memoravimus, complexi sumus.

§. II.

De Musæi hujus gemmis, earumque nominibus.

QUoniam vero in hac rerum serie præcipua pars gemmæ sunt; de iis quasi præfationis loco placuit paulo fusius disserere, propter hoc ipsum, quod a plerisque illorum, qui alios Thesauros, sive Musæa illustrarunt id factitatum esse non viderim. Gemmæ itaque nostræ, ut elementarium litterarum ordinem sequar, & vulgo jam usitata earum nomina usurpem, sunt hæ: *Achates*, *Amethystus*, *Aquamarina*, *Chalcedonius*, *Corneola*, *Crystallus*, *Granatus*, *Heliotropium*, *Hyacinthus*, *Lapiscæruleus*, *sive lazzulus*, *& azzurro Jaspis*, *Niccolus*, *sive Onyculus*, *Rubinus Sardonyx*, *& Smaragdus*. Sunt

(1) *Inter hos principem locum sibi vindicant Illustr. & Rev. D. Antonius Baldani ab intimo SSmi Dñi Nostri* BENEDICTI XIV. *Sacello vir præclara eruditione, atque doctrina judicioque subtili, sincero, atque optimo. & P. Contuccius Contucci Musæi Kirkeriani custos, qui illud mirifice auxit, Europaque tota celeberrimum reddidit.*

Sunt etiam quasi gemmæ *Prasma* vel *Plasma*, ut dicunt *Smaragdinum*, *Cyanos* item *factitius*, qui *Pasta azzurra* Italico vocabulo nuncupatur. De hisce omnibus satis quidem multa Theophrastus, Plinius, Solinus, & S. Isidorus in suis Originibus tradiderunt. Verum illud perincommode cadit, quod gemmæ non paucæ longe aliter nunc appellentur, quam a veteribus etiam sacrorum librorum scriptoribus nominatæ olim fuerint, ut recte monet Pererius Tom. 1. in Genes. *Nomina*, inquit, *lapidum Hebræa in obscuro, & in incerto est, quid significent proprie. Quo fit, ut interpretes ea sæpe transtulerint non qualia sunt Hebraice*. Idem senserat Abulensis in cap. 18. Exod. testimonium afferens Rabbinorum Salomonis, & Abraham Abenezra. Quod quidem manifestum est exempli causa in voce שֹׁהַם *soham*; siquidem interpretes pro ea reddunt interdum Onycha, interdum *Sardonycha*. Et LXX. modo *Smaragdum* ut Exod. 28. 9. & 35. 25. & 39. 5. modo *Beryllum*, ut Exod. 28. 20. modo *Sardonycha* ut Job. 35. 8. modo *Sapphirum*, modo etiam *Sardium*, Quod attinet ad Scriptores reliquos, quam diversa apud illos fuerit eorumdem nominum significatio, audiendus Cornel. a Lapide; qui in cap. 21. Apocal. *Quamobrem*, inquit, *in gemmis nonnullis valde discrepant novi Scriptores Nilus, Anastasius, & alii ab antiquis, puta a Theophrasto, & a Plinio, quem sequitur Isidorus, & alii; sive quia nomina gemmarum quandoque variata, & mutata sunt, sive quod gemmæ veteres nonnullæ interierint, & novæ earum species subnatæ, aut a Gemmariis substitutæ sint; uti præstantes Gemmarii, quibuscum Romæ egi, mihi fassi sunt; ipseque ego singulas eorum gemmas perlustrans, & manu, oculisque pertractans, easque conferens cum illis, quæ de iisdem scribit Plinius, re ipsa deprehendi. Vidi enim Sardium olim opacum nunc esse pellucidum, Topatium olim aureum, & porraceum, nunc tantum esse aureum, & fulvum, Sapphirum olim cæruleum aureis punctis collucentem nunc esse violaceum sine punctis, & pellucidum, Beryllum olim viridem nunc albicare ut vitrum, immo a Gemmariis vocari Vitrum, Hyacintum olim cæruleum, & violaceum nunc melleum. Quocirca Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis cap. 30. Plinii ait Hyacinthus hodie inter Amethysti genera ponitur, quemadmodum Amethystus veterum nunc Granati nomen obtinet. Ætas & Gemmariorum imperitia nomina ita confudit, ut vix aliquid certi hac in re statui possit*. Anselmus Boëtius de Boot cujus verba sæpe Cornelius recitat fuit Rodulphi II. Imperatoris Medicus, justumque volumen de Gemmis diligenter, accurateque confecit.

§. III.

De Achate.

UT igitur de Achate ad dicendum ingrediar illum solum a notatione nominis describit Plinius l.37. cap.10. cum dicit ita appellatum esse ab Achate flumine in Sicilia, ubi primum repertus fuit. Eadem fere verba mutuatus est a Theophrasto sic ab Adriano Turnebo latine versa: *Amæna gemma est & Achates ab Achate fluvio Siciliæ, quæ impenso pretio venditur*. S. Isidorus hæc addit: *Est autem nigra habens in medio circulos nigros, & albos junctos, & variatos similis Hæmatitæ*: Si ab eodem quæras, quid sit Hæmatites? *Hæmathites*, respondet *rubore sanguineus, ac propterea Hemathites vocatur*. Quomodo nigro colori possit esse similis rubeus color, non video. Sed hic fortasse S. Doctor Hæmathitæ genus illud significat, quod *Schiston*, & *Anthracitem* Plinius appellat, nigrumque in Africa nasci tradit; nigrum, inquam, cujusmodi apparere solent venæ, vel caro, cum sunt nimio sanguine oppletæ. Utcumque tamen sese res habeat, S. Isidori verbis una potius Hæmatitæ species significari videtur, quam genus. Aliquanto clarius Solinus cap.10. *Interscribentes eum* (Achatem) *venæ naturalibus sic notant formis, ut cum optimus est varias præferat rerum imagines*. Cæterum unius coloris reperiri Achatem denotant hæc Plinii verba cap.10. l.37. *Eam vero, quæ unius coloris sit invictam athletis esse*. Plerumque tamen multicolor est non secus, atque Jaspis, *qui*, ut ait Boetius de Boot cap.100. *ab Achate non differt, nisi quod mollior sit, & propterea non ita exacte poliri possit, ut Achates, neque tam perspicua est, quam Achates*. Inter Onychem etiam, & Achatem hoc interest quod illa longe perlucidior sit atque tenerior. Ob colorum, quam diximus, varietatem, Achatæ plura nomina inventa sunt, quæ recensentur a Plinio. Alius enim dicitur *Phassachates*, qui palumbino est colore, alius *Sardachates*, qui eo quo sardæ sunt, alius *hæmachates*, qui sanguineo, alius *Cerachates*, qui cereo, alius *Coralloachates*, qui guttis aureis Sapphiri, vel ut alii legunt, Coralii modo distinctus; alius denique Dendrachates, in quo plantæ, atque arbusculæ apparent. De eo Orpheus.

Δένδρεα γὰρ μάλα πολλὰ κατόψεαι ἀθρόα κήπῳ
Ἀνθεμόεντα κλάδοισι ἐπεστυφέοις κομόωντα.

Arbores enim multas inspicies quemadmodum in horto
Florente ramis acervatis ornatas.

Salmasius pro *Phassachates* legit *Jaspachates*; isque fortasse est, qui Jaspidem admixtum habet.

De

§. IV.

De Amethysto.

AMethystum Theophrastus in gemmarum Signatoriarum numerum refert, eamque vini colore cerni dicit. Paulo clarius, & fusius Plinius cap.9. *Amethysti*, inquit, *violaceo colore perlucent*. Et infra: *Præcellens debet esse in suspectu veluti ex Carbunculo refulgens quidam in purpura leviter roseus nitor*. Ubi etiam docet *Amethystum ad vini colorem accedere, sed in violam desinere, & fulgorem purpuræ in illo cerni non ex toto igneum, sed in vini colorem deficientem*. Atque hæc omnia cum Amethysto hodierna plane congruunt. Eam vero umbilico admotam vini vaporem primo ad se trahere, postea etiam discutere; proindeque ferentem a crapula vindicare, ut Joannis Jonstonii verbis utar, Thautmatographiæ Art.4. cap.22. (ubi etiam auctorem Aristotelem citat) credat Judæus Apella: non ego. Ex hoc lapide in Sacra S. Ignatii Æde columellæ sunt quatuor sustinentes porticulam, sub qua Venerabilis Eucharistia publice adoranda statis anni temporibus collocatur.

§. V.

De Aqua Marina.

AQuam marinam eamdem, ac Beryllum esse, fere omnes consentiunt una cum Clarissimo Senatore Philippo Bonarota *Osservazion Istoriche &c.* pag.XII. cum Plinius aperte dicat *probatissimos esse Beryllos, qui viriditatem puri maris imitantur*, & Solinus, esse *colore puri maris*. In alia tamen, sententia est Salmasius *Exercit. Plin. in Solin* gemmam esse affirmant, quam *Cattioculum* vocant. In Notis Dissertationis D. Jannonis de S. Laurent nuper inter Cortonenses vulgatæ affertur celeberrimi Fulvii Ursini manuscripta adnotatio quædam, quæ extare dicitur in margine Plinii typis impressi Basileæ anno 1525. in Typographia Froboniana, ubi ad cap.10. verbo Calaïs hæc interpretatio adjuncta est. *Hanc gemmam* (h. e. Calaim) *Benedictus Ægius a Spoletio eam esse affirmat, quam vulgo Aquam marinam vocant*.

§. VI.

De Chalcedonio.

CHalcedonii nomen invenies quidem apud sacros Scriptores, apud Latinos aureæ ætatis, vel etiam argenteæ non item. S. Isidorus, Beda, & Aretas gemmam hanc ad Carbunculum, tamquam

ad

ad genus referunt, Rectius Senator Philippus Bonarota *Osservazion Istor.* pag.15. ad Jaspides pertinere opinatur, dicendamque esse *Jaspidem Chalcidicam*, Ego vero *Jaspidem Chalcedoniam* appellari mallem, cum Plinius lib.37. cap.8. *Turbidam*, dicat, *Jaspidem Chalcedon mittit*: & S.Jo. in Apoc.21. ut hanc gemmam exprimat,utatur ipso Urbis Chalcedonis nomine ἐπίθετον χαλκηδόνος: cumque nomen adjectivum Chalcidicus a Chalcide primaria Eubœæ Urbe, nunc *Negroponte*,non a Chalcedone derivetur; eamdemque esse sentio, atque illam, de qua idem Plinius sequenti capite: *Quintum genus*, inquit, *quæ ad viciniam Crystalli descendit*. Neque est quod pro Chalcedonio Carchedonium cum Gesnero ponamus; nam ut bene monet Ludovicus de Alcazar Notat. 10. in cap.21. Apocal. *Carchedonius* videtur potius Epitheton significans *Charthaginiensis*, cum Plinius non minus Carbunculos quam Smaragdos Carchedonios appellet.

§. VII.

De Corneola.

QUid vero de Corneola? vocabulum plane barbarum, quod neque ab Abrahamo Gorlæo in sua Dactyliotheca, neque a Martino Erbemayer in suo opere *Capita deorum*, *& hominum illustrium* inscripto usquam usurpatum invenio. Nihil tamen dubito, quin Corneola una ex Onychibus existimanda sit. Conjecturam facio ex Plinii verbis lib.37. cap.7. quæ hujusmodi sunt *Zenothemis Indicam Onychem dicit plures habere varietates igneam, nigram, corneam* (sic enim legit Salmasius) *cingentibus candidis venis oculi modo &c.* Hermolaus Barbarus in suis Castigationibus in Plin. *Unde*, inquit, *ortum nomen putant earum, quas vulgo Corneolas nominamus*. Rhodiginus quoque ethymologiam hanc sequitur lib.17. Lect. Antiq. cap.10. *Corneolæ*, inquit, *gemmæ, ut nunc dicuntur ... ita inde nuncupari videntur, quia inter Onyches cornea quoque spectatur varietas*. Ille quidem a Cornu; ego autem a Corno derivare malim: hujus enim arboris baccis cum sunt maturiores, Corneolæ videntur esse persimiles. Notandum tamen non Onychem omnem esse Corneolam, cum Corneola sit tamquam pars subjecta huic generi *Onyx* in qua teste Plinio lib.37. cap.7. *est candor unguis humani similitudo*, est Chrysoliti color, est Sardæ, est Jaspadis, & plures alii. Corneolam eamdem, esse atque Sardam contendunt multi & in suis Musæis ita scribunt, inter quos doctissimus Gori *Sarda vulgo Corneola*. Itaque sentit Jo: Jonstonius in notitia Regni Mineralis cap.4. art.20. *Sardius*, inquit, *Sarda*, *Corneolus* (accipit enim

enim hæc tamquam ſynonima) *in ſaxi aliquando corde hæret loturæ carnis obſcura nubecula offuſæ ſimilis. Mares excitatius fulgent fæminæ pinguiores, & craſſius nitent.* Concinit Hoffmanni Lexicon, ubi auctor ipſe quoque a *Carne Corneolæ* nomen deducens, corrupteque Corneolam pro *Carneola* gemmam hanc vulgo nominari, ait.

§. VIII.

De Cryſtallo.

CRyſtallum pariter gemmis annumerat Plinius docens *calori cauſa contraria Cryſtallum fieri, geluque vehementer concreto, ac propterea non aliubi reperiri, quam ubi maxime hybernæ nives rigent.* Quare etymologia illius eſſe fertur a χρυὸς, quod eſt *frigus* & πήγνυμι pro συστέλλομαι *contraho* quaſi χρυόπηγος. Ex hac materia videas Protomas nonnullas in Collectaneis Antiquitatum Romanarum D. Abbatis Ridolphini Venuti, & unam in fine hujus primi noſtri Tomi, quam Venerem eſſe Apoſtrophiam, vel Cæleſtem aliqui exiſtimarunt. In Muſeo etiam Kirkeriano habemus Cryſtallinam laminam, in qua inſculptus Aſellus ciſtis onuſtus conſpicitur, ex quibus poma, floreſque prominent, & eſt fortaſſe illa eadem, quam Senator Bonarota in ſuis Obſervationibus exponit pag. 345. Extant etiam apud nos Tali antiqui Cryſtallini quos D. Franciſcus Ficoroni in ſuo opere de Talis antiquis deſcripſit, & poſtea nobis dono dedit. Vide etiam Tab.XVIII. hujus Tom.I. & Tab.XXIV.

§. IX.

De Granato.

LApilli genus hoc eſt ex iis, quos in diademate Regum Maurorum in Hiſpania Granatenſi conſpiciebantur, ſi fides eſt habenda Paſchalio Coron. lib.10. cap.9. nomine, ut opinor, indito ob concolor mali Punici granum. Si Lexicographos conſulas, *Granato* Italico *Amethyſtum* Latinum, & Græcum vocabulum reſpondere ajunt. Et fortaſſe una eſt ex Amethyſtis illis, de quibus Plinius lib.37. cap.9. *Indicæ abſolutum felicis purpuræ colorem habent.* Et infra. *Fundit autem vim aſpectu leniter blandam, neque in oculos, ut carbunculi, vibrat.* De eadem Gemma Jo: Jonſtonius Thaumatograph. Claſſe 4. cap. 24. *Carchedonius ſic dictus, quod apud Garamantas, & Naſamonas in Syrtibus inventus Charthaginem deferebatur, alias Granatus.* Sed Carchedonios etiam Smaragdos a Plinio denominatos, jam diximus. Gemma eſt non magni pretii, niſi ſit extraordinariæ magnitudinis, cujuſmodi eſt illa, ex qua poculum affabre elaboratum in Kirkeriano aſſervamus.

§. X.

De Heliotropio.

HEliotropium si esset eadem, ac *solis gemma*, quemadmodum Græcum etymon denotat, sic describendum esset cum Solino cap.50. *Gemma percandida ad speciem fulgidi syderis, rutilosque ex se jacit radios*. Verum cap.40. ubi Heliotropii nomen adhibet, longe aliter gemmam hanc explicat, cum dicat, esse *viridi colore non ita acuto, sed nihilo magis represso stellis puniceis superspersam* & Plin. l.37. cap.10. *Heliotropium*, inquit, *porracei coloris sanguineis venis distincta*. Jo: Jonstonius in notitia Regni Mineralis eadem fere Plinii verba recitat. Jannonius de S. Laurent in ea dissertatione, quam paulo ante laudavimus, Heliotropium ad Jaspidem revocat. Dicitur Heliotropium, non quod instar Solis eluceat, neque quod, sicut flos cognominis Solem semper intueatur, sed *quia dejecta in vas aquæ fulgorem solis accedentem percussu sanguineo mutat, maxime Æthiopica. Eadem extra aquam speculi modo solem accipit, deprehenditque defectus, subeuntem lunam ostendit*. Multa alia fabulosa, de hoc lapide afferuntur, & irridentur a Plinio lib.37. cap.10.

§. XI.

De Hyacintho hodierna.

HYacinthi gemmæ neque in Exodo, neque in Apocalypsi mentio ulla fit. Quare, cum cæteroquin inter gemmas præcipuas, nobilissimasque locum habeat, suspicatur S. Epiphanius eamdem esse atque illam, quam sacrorum illorum librorum authores Lygurium appellant. Vide D. Petrum Joannem Fogginum in suis Notis in eum S. Doctoris locum, ubi etiam opinionem hanc S. Hieronymi testimonio confirmat, qui in Epist. 517. ad Fabiolam hæc habet: *Satisque miror cur Hyacinthus pretiosissimus lapis in horum numero non ponatur, nisi forte ipse est alio nomine Lygurius. Scrutans qui de lapidum, atque gemmarum scripsissent naturis, Lygurium invenire non potui*: alii legunt *Lyncurium*. Adstipulantur Lodovicus de Alcazar & Cornel. a Lapide in cap.21. Apocal. docentes una cum Anselmo Boetio de Boot c.29. quos hodie hyacinthos dicimus coloris esse aurei, & mellei, ut potius Chrysolitos illos dicas. Si hoc est; Hyacinthus nostra erit profecto Lygurius, vel Lyncurius, prout illum Historiæ naturalis author describit lib.37. cap.3. *de Lyncurio*, inquit, *proxime dici cogit authorum pertinacia, quippe etiam si non Electrum id esset Lyncurium tamen*

esse

esse contendunt. Et paulo post: *Esse autem qualem in igneis succinis colorem*. Ecce tibi perspicue indicatus aureus, melleusque color, qualis est Electri, & gemmæ illius, quam Hyacinthum nunc dicimus, vel etiam Crysopatium. Est tamen, & Hyacinthus alia, quam *Giacinto Guarnaccino* Itali nuncupant, quæque postremus a me recitatis Plinii verbis fortasse indicatur. *Esse autem qualem in igneis succinis colorem* ita, ut ad Rubinum, sive Carbunculum nonnihil accedere videatur.

§. XII.

De Hyacintho veterum.

CÆterum ab Hyacintho nostra longe aliam extitisse Veterum Hyacinthum, clare evincitur ex Plinio & Solino. Plinius enim cap. 9. *Ille*, inquit, *emicans in Amethysto fulgor violaceus diluitur in Hyacintho primoque aspectu gratus evanescit, antequam satiet, adeoque non implet oculos, ut pene non attingat, marcescens celerius nominis sui flore*. Quinam autem apud antiquos Scriptores flos cognominis, & concolor huic Hyacintho veterum fuerit, quam incertum sit, vide apud Jo: Baptistam Porta de Villa lib. 9. cap. 16. In eamdem fere sententiam Solinus: *Inter* hæc, inquit, *quæ diximus Hyacinthus invenitur lapis pretiosus, siquidem inculpabilis inveniatur. Optimus in illo tenor, si nec densiore succo sit obtusior, nec propensa perspicuitate dejectior, sed ex utroque temperamento lucis, & purpuræ moderatum suaviter florem trahat*: quæ quidem Solini verba sic explanat Joannes Camers afferens Marbodæi versiculos. *Hyacinthus ex similitudine floris sui nominis sic vocatur, & cæruleum colorem habere dicunt.*

Optimus huic tenor est, quem non depressior æquo
Obscurat succus, aut rarum perspicuum dat
Sed flos purpureus mixtum componit utrumque.

Hyacinthum hanc translucentem esse oportere, aperte significant utriusque Scriptoris loci per vocabula fulgoris, & lucis. Hæc autem omnia, quæ de Hyacintho veterum scripta sunt, nemo est, qui Sapphiris nostris optime convenire non videat. Ex Sapphiris hodiernis nulla est in Museo Odescalcho, sed solum Chalcedonius Sapphirinus, ubi Julius Cæsar insculptus. Quænam autem ab antiquis scriptoribus gemma Sapphiri nomine designetur paulo post, nimirum §. XIV. considerabimus.

§. XIII.

De Jaspide.

NAm propositus rerum ordo postulat, ut nonnulla de Jaspide summatim jam, & breviter perstringamus. Quod attinet ad duritiem, quomodo ab Achate differat, antea jam dixìmus. Quod vero ad colorem a S. Epiphanio, S. Hieronymo, Sanctoque Isidoro, atque aliis viridis esse passim traditur: immo Theophrastus, *Ipse Jaspis*, inquit, *similis smaragdo verus fieret smaragdus, si maturesceret*. Ex Jaspidibus viridibus, quæ transversa linea alba media præcingitur, *Grammatias* vocatur. Quæ pluribus cingitur, *Polygrammos*; Ex ipso tamen Theoprasti loco plures alios colores Jaspidis esse proprios dignoscimus. Eos nominatim recenset Plinius, *Fumeum* videlicet, *Æreum*, *Cæruleum*, *Candidum*, & alios. *Optimam* tamen *Jaspidem* esse concludens, *quæ purpuræ quicquam* habet, *deinde, quæ rosę; postremo, quæ Smaragdi*. Purpuræ non parum habet Jaspis (*Diaspro sanguigno*) grandiuscula ovata, in qua efficta est in Cruce suffixi Christi Liberatoris effigies, quamque Museo Kirkeriano Marchio Gregorius Capponius legavit: Ob ipsos diversos colores Jaspis ipsa diversa nomina obtinuit. Nam, ut ait Boetius de Boot l.2. cap.2. *A commixtione cum Achate vocatur Jaspachates, cum Onyche illa, quæ nivem imitatur, & Crystallo similis est, quam hodie Chalcedonium vocant, Jasponix a Plinio appellatur. Quæ cum Sarda miscetur Sardojaspis dici potest*. Ex Jaspidum crustis elaborata sunt in Magnatum domibus scrinia, & abaci elegantissimi. Apud nos in eodem Kirkeriano, & ab eodem Capponio legata Patella est venustissima, in medioque depressa ex pluribus Jaspidibus coalescens, quæ sunt argenteis circulis inter se colligatæ. Sed hæc minutiora, si cum Sacelli Burghesiani in Sacra Liberiana Æde excitati columnis, cumque pulvinaribus, quæ in Sacello Laurentiano Magnorum Etruriæ Ducum vidimus, conferantur. Jaspideam Thoracati Neronis effigiem unciarum undecim a se visam Plinius testatur lib.37. cap.9. Jaspidem Sinensem appellant, quamvis non admodum dura sit, tabulam bipalmem, minoremque aliam Pekino huc missas, & Museo Kirkeriano a R. P. Ignatio Vicecomite Vicario Generali Societatis Jesu dono datas; in quibus accidit, ut simul cum primigenia illarum materia lapidesceret testa piscis marini, qui à Græcis Orthoceros dicitur: quæ quidem mirifice lapidis partibus utrimque continuata, translucet, & in modum coni identidem geniculati sursum versum porrigitur.

§. XIV.

De Lapide, qui dicitur azzurro.

LApis eſt cæruleo colore, quem Itali dicimus *Lapis azzurro*, & qui, uſus inveteravit, ut latine, ſed barbaro certe vocabulo dicatur *Lapislazzulus*, non alius eſſe videtur, quam qui Sapphirus a veteribus appellabatur. Quæ de Hyacinto illi ſcripſerunt, Sapphiris hodiernis convenire jam vidimus. Quæ de antiquo Sapphiro, quomodo conveniant lapidi noſtro Lazzulo, videamus. De Sapphiro Plin. l.37. cap.9. *Sapphirus aureis punctis collucet.* Deinde: *Ceruleæ & Sapphiri raroque cum purpura optime apud Medos, numquam tamen pellucidæ* (hæc enim emendatior eſt lectio). Alia eſt etiam conjectura in ſequentibus; ubi Sapphirus *inutilis ſcalpturæ eſſe dicitur intervenientibus Cryſtallinis centris*, ut revera eſt lapis lazzulus. Huc accedit quod cyaneum, hoc eſt cæleſtem, & cæruleum colorem Sapphiro Plinius aſſignet; qui etiam eſt Lapidis lazzuli color. Hic tamen ipſe color modo denſior eſt, modo dilutior. Cum aliquanto eſt dilutior ab Italis appellatur *Mavi*, cum autem denſior, *Azzurro*. Ob id ipſum hujus lapidis duo quaſi genera diſtinguit Solinus: ita, ut alium Cyaneum colorem, alium Cæruleum eſſe ſentiat cap.25. *Et Cyaneus*, inquit, *Lapis* hoc eſt, (ut ego opinor Lapislazzulus) *e Scythia eſt optimus, ſi cærulo coruſcabit, cujus gnari in marem, & fœminam genus dividunt. Fœminis nitor purus eſt, mares punctulis ad gratiam interlucentibus auratilis pulviſculus variat.* Romæ multa viſuntur artefacta ex hoc lapide, ſive potius hujus lapidis cruſtis ornata. Tabernaculum ubi Sacroſancta Euchariſtia reponitur in Vaticana Sacra Apoſtolorum Principis Æde. Columnæ quatuor in Sacello S. Ignatio Societatis Jeſu auctori dicato intra Templum Sanctiſſimi nominis Jeſu. Et in pluribus Sanctorum Cælitum Templis, ac Magnatum domibus alia plura.

§. XV.

De Niccolo, ſive Onyculo.

NIccolus pariter peregrina vox eſt, atque adſcita, veroque ſimile eſt corrupte deductam eſſe a Græca *Onychium*; quod *Onychium*, ut ſcriptum Theophraſtus reliquit, fuſco candidoque alternis diſtinguitur. Onychinus etiam lapis memoratur Exod.28. *Onychina pyra* a colore vocat Plinius lib.15. cap.15. *Et onychina pruna* apud Columellam lib.11. cap.10. ſunt quæ Onychis hoc eſt unguis ſimilitudinem, & formam habent. Non male igitur Benedictus Cerutus, & Andreas Chiocchius in Muſeo Calceolario Niccolum, ſive Onyculum ad Onychem perti-

nere opinantur. *Lapides*, inquiunt, *in colore nunc albi, nunc nigri, nunc subrubicundi, nunc variis coloribus distincti conspiciuntur, Niccolique vocantur, & si qui candidis zonis sunt interpolati, Niccoli veniunt nuncupati, quasi Onyculi, quod ex colore candido cum aliis mixto se ipsos demonstrant*. Anselmus Boetius lib.1. cap.8. *Hodie Onyx, & Sardonyx a Gemmariis Niccolus vocatur*. Agricola in tractatu de Onyche Niccolum ad Chalcedonium pertinere contendit. Si tamen a Gemmarum venditoribus perconteris, Niccolum esse respondent unum ex Achatibus, duorum colorum, vel plurium. Cur vero, qui Achates vere sunt, a recentioribus hisce Scriptoribus Onyculi, quasi ab Onyche vocitati fuerint, inde arbitror esse factum, quod aliquam semper unguis humani similitudinem Achates etiam, qui Niccoli appellantur, præseferant.

§. XVI.

De Rubino.

R*Ubinus* nunc dicitur, qui a Latinis Carbunculus, a Græcis Pyropus appellabatur. De eo Theophrastus hæc habet: *Aliud genus est lapidum... recusantium uti, ut qui Carbunculus vocatur, e quo annulorum sigilla scalpunt coloris rutili adversus solem ardentis carbonis specie refulgens. Atque hæc gemma longe omnium carissima est, cum vel minima facile quadraginta aureis permutetur. Affertur Chartagine, & Massilia*. Ita vertit Adrianus Tumelus. Plinius vero lib.37. cap.7. Principatum habent Carbunculi a similitudine ignium appellati: idemque sonant Græca Synonyma ἀνθρακίας, & ἄνθραξ id est carbo, & πυρωπὸς a πῦρ quod est ignis. Ibidem postquam enumeravit Carbunculorum genera plura hæc addit: *Masculi appellantur acriores, & fœminæ languidius refulgentes*. Carbunculus fœmina apud nos est *Rubino balascio*; mas *Rubino Spinello*. Nobiliores teste Anselmo Boetio de Boot lib.2. cap.13. nascuntur in Insula Ceilant. Magnitudo tanta aliquando est, ut in *sextarii unius mensuram illos cavari*, Plinius narret. Marcus Polus Venetus in libro *Delle maraviglie del Mondo &c.* cap.120. refert Ceilanensium Regem possidere Rubinum omnium pulcherrimum, quotquot sunt in Orbe terrarum, longum scilicet palmum unum, crassitie vero tanta, quanta est hominis brachium. Inusitatæ etiam magnitudinis Carbunculus est in Thiara Serenissimorum Ducum Venetiarum insertus. De nocturno Rubinorum fulgore audiatur Ulysses Aldovrandus in Museo Metallico. *Quod noctu*, inquit, (Rubinum) *instar carbonis luceat, adhuc non est exploratum. Gemmas autem in tenebris fulgentes posse a natura produci affirmamus, dum eadem natura lignis putridis, nitedulis,*

squa-

ſquamis piſcium, & oculis felium talem lucem impertitur, ut in tenebris fulgeant, ſed apud nos adhuc incertum eſt, num aliqua gemma hujus conditionis inveniatur.

§. XVII.

De Sardonyche.

SArdonychem ex Onyche & Sarda mixtum eſſe quaſi quodpiam nomen ipſum declarat, & Plinius l.37. cap.7. his verbis confirmat: *Sarda, quæ nomen cum Sardonyche communicavit*: De ipſius colore hæc jam cap.6. docuerat: *Sardonyches olim ut ex nomine ipſo apparet intelligebantur candore in Sarda, hoc eſt velut carnibus ungue hominis impoſito, & utroque translucido*. Igitur Sardonychis color partim carnis, partim unguis humani. Carnis enim color eſt Sardæ proprius, & ob eam cauſam *Cornerinam* corrupto vocabulo pro *Carnerina* Ludovicus de Alcazar, & Cornelius a Lapide in cap.21. Apocal. Sardam vocitatam eſſe ajunt: quamvis S. Epiphanius in lib. de XII. gemmis, quæ erant in veſte Araonis Sardium Babylonium forma eſſe ſanguinea, ſanguiniſque colorem ſardio piſci ſale condito, & inveterato ſimilem referre dicat. Onychis vero colorem eumdem eſſe, atque unguis Onychis vocabulum promiſcuum ipſum demonſtrat, expreſſeque Plinius ibidem: *Sudines dicit in hac gemma* (h. e. Onyce) *eſſe candorem unguis humani ſimilitudine*. Et Ulyſſes Aldovrandus eam ſcribit, eſſe gemmam partim lucidam partim obſcuram, quæ inſtar unguis translucet perinde ac marmor illud, cui Alabaſtrites nomen eſt. Hoc conſtituto Sardonychis color ipſe erit mixtum quoddam ex duobus coloribus Sardæ, atque Onychis. Sed cum Sardam quoque ipſam eſſe unam ex Onychibus contenderimus; ſequetur Sardonychem eſſe mixtum quoddam ex coloribus Onychis, atque Onychis, quod omnino videtur inepte dici, atque ſtulte. Sed modo memoria, quæ ſupra diximus, repetamus, evaneſcet abſurdum omne, cum Onychis color primarius unguis humani candorem præſeferat, ſecundarii vero ſint multi alii; inter quos carnis humanæ ſimilitudo, cui unguis humanus ſit ſuperpoſitus. In Sardonyche igitur partim primarius ille Onychis, partim hic ſecundarius, nimirum carnis, eſt color, ut apparet ex Plinii loco ſupra a nobis allato. Hoc ipſum Dactyl. cap.59. Marbodæus ſic explicat *Sardonychem faciunt duo nomina Sardus, & Onyx. Tres capit ex binis unus lapis iſte colores*. Ubi tamen de Arabica Sardonyche loquitur, colores hos ipſos immutare paullulum videtur Plinius, cum l.37. cap-6. ſic illas deſcribit. *Cæperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi radice nigra, aut cæruleum imitante, & unguem: creditum enim candido pingi, nec ſine quadam ſpe purpuræ candore in mi-*

minium transeunte. Ob eorumdem colorum mixtionem nihil mirum est, si utriusque gemmæ, Onychis videlicet, & Sardonychis nomina promiscue olim ad alterutram significandam accepta fuerint. In quam sententiam Boetius de Boot lib.2. cap.92. *Onyx, Sardonyx, & Chalcedonius vel idem sunt, vel potius species invicem affines, & cognatæ; unde apud veteres omnes sub Onyche habebantur*. In alia opinione est D. Abbas de Laurent qui in laudata Cortonensi dissertatione cap.13. contendit quidem Onychem a Sardonyche non differre, sed utramque esse sub Chalcedonii genere affirmat; discrimenque totum esse in eo, quod Chalcedonius aliquam varietatem patiatur: rursus Onychem esse Chalcedonium duorum colorum, si tertius adjungatur Sardonychem extituram. Cum in hoc doctrinæ genere tam incerta sint omnia, nihil mirum est, si tam variæ etiam discrepantesque sententiæ Scriptorum fuerint; ut a Plinio ipso diligentissimo cæteroqui rerum naturalium investigatore dissentire non dubitaverint. Audi Ruæum Sardam non solum a Sardonyche, sed a Sardio ipso lapide distinguentem. Carneolam sive Corneolam, quam nos eamdem esse ac Sardam posuimus, sic definit lib.2. cap.20. *Gemma est vulgaris minii colore, sublanguido tamen, seu videlicet in humanam carnem perspicuitas perfusa*. Capite autem 6. *Sardius*, inquit, *a Plinio Sardam vocari invenio, tametsi non desint viri non incelebres, qui ab hac Sardium multum discriminari judicent, quod videlicet hic ruber, illa alba visitur. Forsitan vocum vicinitas Plinio imposuit*. Quod autem ad Sardonychem attinet, illi affinis est Sardachates, ex qua est apud nos in Kirkeriano poculum instar cucumulæ pavonaceis quasi ocellis distinctum: alius item Crater longe coloratior, & amplior in Martyrum sepulcris inventus ad viam Salariam, quæ sepulcra Cæmœterium Priscillæ, vel ad Clivum cucumeris nominantur. Huic autem vasculo aliud omnino simile in Museo Serenissimi utriusque Siciliæ Regis extare audio. Idem D. Abbas de S. Laurent cap. x. ingeniose probat, vasa Murrhina nihil aliud esse, nisi vasa ex Achate Sardonyche sive Sardachate; ejusque rei in exemplum non solum Craterem illum nostrum, sed etiam vascula alia, quæ in Museis Cæsareo-Viennensi, & Alexandri Albani Cardinalis visuntur, similisque materiæ fragmentum a D. Barone Philippo Stochio possessum assumit.

§. XVIII.

De Smaragdo.

SMaragdus Plinii cum Smaragdo nostro plane congruit. *Nullius enim*, inquit, *coloris aspectus jucundior est. Nam herbas quoque virentes, frondesque avide spectamus, smaragdos vero tanto libentius quoniam nihil*

nihil omnino viridius comparatum illis viret. Addit postea nobilissimos esse Scythicos, deinde Bactrianos, *quos incommissuris saxorum colligere dicuntur* etesiis flantibus; postremò Ægyptios &c. S. Epiphanius dicit gemmam hanc appellari etiam *Prasinum*, quam alii Neronianam vocant ab Nerone quodam artifice smaragdorumque scalptore præcipuo. Hæc omnia ex Plinio l.37. cap.5. Theophrastus vero Smaragdum, & Jaspidem in Cypro gigni narrat; imo ex Jaspide fieri, cum aliquando in ea Insula lapis, cujus dimidium Smaragdus esset, dimidium Jaspis, repertus fuerit. Plura vero quæ de Smaragdo commemorat pura puta sunt ænigmata & fabulæ ubi dicit: *Smaragdus facultatibus præterea quibusdam pollet: Nam cum aquam, ut diximus, concolorem sibi reddit, modica pauculam, maxima totam, deterrima sibi vicinam*. Raphael Volaterranus Catini Smaragdini celeberrimi meminit, quod in templo Januensis Civitatis principe custoditur. Leander Albertus in Italiæ descriptione a Balduino Januensibus datum memoriæ prodidit, quod in Tripoleos & Cæsareæ expugnatione ipsum juverant. Paullo aliter hanc ipsam rem narrat Bartholomæus Rogati: *Istoria del riacquisto della Spagna &c.* p.4. l.2. num.44. Paschalem agnum in eo catino appositum, communi fama celebratum est, Christum Dominum in postrema illa cœna una cum Apostolis comedisse. Saxum cum Smaragdis innatis habemus in Kirkeriano haud ita magnum. Multo grandius cum grandioribus pluribusque in Sacræ Lauretanæ domus Thesauro asservatur.

§. XIX.

De Plasmate.

SMaragdi utique rudimentum est lapis, quem usitato vocabulo *Plasma*, & communius *Prasma* ab antiquitatis studiosis nunc dicitur. *Plasma* est a verbo πλάττω, sive πλάσσω, quod est *fingo*, *formo*, *more figulino formo*. Quod si hanc spectemus originem *Plasma* nihil aliud erit, nisi *figmentum*, *simulacrum*, *fingendi artificium*, & *signum*. Verumtamen hæc nimis late patent, utpote quæ quibuslibet aliis materiis possunt accommodari. Non itidem *Prasma* quasi corruptè a Græco πράσινος idest *color viridis*, vel a πράσιον, vel πράσιος, quæ duo idem sonant, ac viridis. Suspicor ex eo genere fuisse Smaragdum, de quo Plin. c.5. *Inseritur Smaragdis & quæ vocatur Tanos e Persis veniens gemma ingrate viridis, & intus sordida*; vel illam, de qua paulo post: *Chalcosmaragdus e Cypro turbida æreis venis*. Ex alterutra fortasse materia Smaragdus fuit quatuor cubitorum longitudine, & trium latitudine, quem ab Rege Babylonio Persis finitimo missum fuisse Ægyptiorum Regi, Theophra-

ſtus in eorum Commentariis ſcriptum reperiri, ait. In quibus commentariis legebatur pariter fuiſſe in Jovis delubro *Obeliſcum ex quatuor Smaragdis quadraginta cubitorum longitudine, latitudine* vero *in parte quatuor*: Seque ſcribente, addit Theophraſtus, fuiſſe in Tyrio Herculis templo ſtantem pilam Smaragdinam, ſeu potius ex Pſeudoſmaragdo. Apion ut eſt apud Plinium, cognominatus Pliſtonices ſcriptum reliquit, in Labyrintho Ægypti Coloſſæum Serapim fuiſſe ex Smaragdo novem cubitorum. Habemus in Kirkeriano ex hoc lapide icunculam Hori, vel, ut alii interpretantur, Harpocratis. Camæum item grandiuſculum, in quo effigies muliebris, qui per quatuor foramina trajici retro poteſt, ornamentum fortaſſe pectori adhiberi ſolitum. Ibidem ex praſma Languidiori vulgo *Giada* patella viſitur figura ornata, modicuſque crater aureis quibuſdam circulis circumligatus, *Giadam* autem, neſcio an ſuſpicari poſſim, eſſe Omphacem, quod vocabulum cum uvam acerbam, & immaturam, tum gemmam peculiarem, uvæque illi concolorem apud Theophraſtum ſignificat.

§. XX.

De gemma factitia, quæ dicitur Paſta azzurra.

PRæter gemmas veras, atque germanas eſt in Muſeo Odeſcalcho gemma quædam factitia, quæ ab harum rerum peritis dicitur *Paſta azzurra*. De Gemmis factitiis vide Plinium lib.37. cap.12. Tertullianus cap.4. lib. ad Martyras cum vero Margarito vitrum confert. *Tanti*, inquit, *vitrum, quanti verum Margaritum*. Meminit etiam S. Hieronymus ad Demetriadem. Etiam apud S. Anaſtaſium Sinaitam. Examer. l. 8. pag.898. Tom.6. Biblioth. PP. mentio eſt artificum, qui hujuſmodi ementitas gemmas conficerent. De illarum autem venditore neſcio quo lepidam Trebellius Pollio in Gallienos duos rem narrat. *Idem*, inquit, *cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet ejus uxori, atque illa re prodita vindicari vellet; ſurripi quaſi ad Leonem venditorem juſſit. Deinde a cavea coponem emittit, mirantibuſque cunctis rem tam ridiculam, per Curionem dici juſſit*: impoſturam *fecit*, *& paſſus eſt. Deinde negotiatorem dimiſit. Paſta igitur azzurra* eſt gemma factitia lapidem lazzulum quadamtenus imitata. Verum illud hac in re moleſtiam exhibet, quod tam *Azzurro*, quam *Turchino* Grammatici Latine reddant per hæc eadem vocabula *Cyaneus*, *Cærulus*, *Cæruleus*, & *Cæſius* cum cæteroquin *Azzurro* a *Turchino* plurimum diſtare compertum ſit. Hoc autem ob vocabulorum inopiam evenire, nemo eſt, qui non videat. Poſſumus tamen alterum colorem ab altero diſcernere, ſi dica-

dicamus etiam *Turchino* esse quidem *Cyaneum*, atque *Cæruleum*, sed multo dilutiorem, quam sit lapidis *lazzuli* color sic, ut nonnihil ad viridem accedere videatur. Vere tamen dicam. Hac in re quemadmodum in multis aliis, cæcum esse me ita profiteor, ut nequeam plane de hisce præsertim coloribus judicare. Quocirca recitabo solum quædam Julii Cæsaris Scaligeri loca de subtilitate ad Hieronymum Cardanum, ut videat Lector in tam difficili argumento, si possit inde aliquid expiscare. Exercit.125.10. Turchinam a Turcis appellari dicit. In eadem exercitatione 15. docet Cæruleum a Cælo esse ductum, dicique etiam Cæsium, haud alium a Glastino (Glastum est *Guado*) quem Germani vocant *Blavu* (poterat etiam addere quem Galli vocant *Bleu*) *Indicum* Pictores Itali. Addit hujus coloris modos, sive gradus, & species esse *Persum*, *Turchinum*, *Azzurrum*: Mauram vocem esse *Azzurro*, & Arabicam *Lazul* a gleba, sive lapide quem κυάνου Græci dicunt, nos *Cæruleum*. Si præterea interroges de Cyani colore dicit eum conflari ex lucido candido, & leviter nigro. Qua in re se dissentire, profitetur a Platone in Timæo, qui mavult ex nigro admodum saturo. Exercitatione tandem 198. 13. hunc ipsum colorem cum viridi comparans: *videtur*, inquit, *Cærulei substantia tenuior, quam viridis. Etenim quod eruitur in Germania Cæruleum, eo si oleo admixto pictores utantur, ajunt tandem viride evadere. Abit ergo tenuior pars. Ex altera parte aliter videtur. Nigroris enim species magis est in Cæruleo conspicua. Tunc autem ex mixtione Lutei, ac Cærulei viridis fit, ex nigro & viridi Cæruleus. Philosophus in Iride* τὸ πορφυροῦν μελάντερον τοῦ πρασίου. hoc est: *Purpureus color nigrior viridi*. Quinam vero sit color purpureus, posset poni alia quæstio, & inde aliæ innumerabiles, & infinitæ. Secundus igitur Cærulei coloris gradus ille, quem Scaliger indicavit, erit illius alterius Gemmæ proprius, quam barbaro vocabulo *Turchinam* appellamus, *Turchoidem*, atque *Turchesiam*. Audiamus nunc quomodo hanc eamdem Gemmam Jo: Jonstonius in notis Regni Miner. describat cap.4. art.3. *Turcoidi* (*Turchesia Turquesia*, *Turcosa*, *Turchina*) *eadem quibusdam ac Plinii Boreas, Callais Jaspis* ἀερίζουσα, *Æruginis color, sed qui in Orientali ad Cæruleum potius, quam ad viridem tendit; in Occidentali, aut plus albicat, aut magis virescit &c.* Enucleatius id ipsum in Hoffmanni Lexico, ubi dicitur esse *Jaspidis species Cælo autumnali similis, adeoque Cælini, sive Aerini coloris*. Hinc a Græcis dictam esse ἀερόεσσα, vel ἠρόεσσα, & contracte ἠέρεσσα, unde Persicum *Firuzza*, & Arabicum *Ferrugi*. Ab iisdem autem Græcis ideo Boream vocitatam fuisse additur, quod eo sit colore quo Cœlum, cum Boreas flat. Quamvis autem nomen *Turcoidis* inde natum esse, etiam Ulysses Aldovrandus existi-

existimet, quod illa a Turcarum regionibus ad nostras pervenerit; postea tamen alibi quoque inventas Turchesias esse narrat Hyacinthus Gimma Tom.1. lib.2. cap.8. nimirum in Hispania, in Perside, in India, in Germania, & in Boemia. In Chilis item Regno erui magnam illarum copiam in monte imminente valli *Copiapò*, qui lapillorum hujusmodi Seminarium vulgo dicitur, testis est Alphonsus d'Ovaglie S. I. in *Relatione Historica del Regno del Chile* l.5. cap.1. Raphael Brunus *Notitiæ di Firenze* & Carletteonius Anglus *de Fossilibus* celebrant Turchesiam, cum insculpta Julii Cæsaris effigie, quæ in Magni Hetruriæ Ducis Thesauro asservatur; quæque tantæ magnitudinis est, ut cum juglande adæquetur. Neque minus admirandum est poculum, quod ab Alìo Beyo de Gierge possessam Gabriel Bremondus commemorat lib.2. *de viaggi d'Egitto*. Longe vero major illa de qua Nicolaus Doglioni in lib. *Notizie di Venezia*, ubi S. Marci Thesaurum describit. Ex ea enim elaboratum est catinus tam amplus, ut ex ea materia æqualis in orbe terrarum reliquo reperiri vix queat.

§. XXI.

De Imaginibus in veterum gemmis generatim.

POstquam extantium in Museo Odescalcho gemmarum naturas expendimus, superest, ut pauca de imaginibus, quæ in veterum gemmis conspectæ sunt, & etiam hoc tempore conspiciuntur, dicamus. Inter eas profecto Plinii & aliorum scriptis celebratus est Achates ille Pyrrhi Epirotarum Regis, *in quo novem Musæ & Apollo cytharam tenens spectabatur non arte, sed sponte naturæ, ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque sua redderentur insignia*. Verumtamen nobis hic non de naturæ mirabilibus, sed potius de arte factis sermo præcipuus esse debet. Jam inde igitur a Moysis ætate certum est, graphio ingemmis litteras inscribi solitas. Constat ex illo Exod. 28. *Sumesque duos Lapides Onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in Lapide uno, & sex reliqua in altero*. Et paulo infra: *Ponesque in eo quatuor ordines lapidum; in primo versu erit Sardius* &c. *Inclusi auro erunt per ordines suos, habebunt nomina filiorum Israel; duodecim nominibus cælabuntur singuli lapides nominibus singulorum per duodecim Tribus*. Hieronymus Prado in Ezech.1. pag.45. tam in duobus Onychinis, quam in duodecim gemmis Rationalis opinatus est, nomina filiorum Israel insculpta fuisse non per litteras, sed per Notas, & Hieroglyphica Ægyptiorum ritu, nomen v.g. Judæ per Leonem, Dan per Aquilam, Ephraim per Bovem, Ruben per caput humanum &c. Hæc enim eorumdem

fuis-

fuisse signa memoriæ proditum est lib. num.20. Hanc tamen opinionem refellit Cornel. a Lapide in cap.28. Exod. tamquam sacræ scripturæ sensui minus consentaneam. Quicquid autem de sculpturæ hujus modo fuerit, illud perquam verosimile videtur ab illa usque ætate non solum litteras, sed etiam imagines in gemmis, & ex gemmis effingendi peritos artifices extitisse. Cæterum imagines hujusmodi erant vel Deorum, ac Dearum, vel Heroum aliorumque clarorum virorum. In multis etiam quadrupedes, aves, monstra, hieroglyphica, symbola, aliaque plurima conspiciuntur.

§. XXII.

De Imaginibus in Adamante.

INter eas, quas diximus, sacræ Scripturæ gemmas ideo Adamantem non numerari putarunt aliqui, quod ob duritiam contumaciter scalpturæ resisteret. Sed hoc falsò creditum, in primis argumento sit exiguus ille Adamas annulo insertus, & ex Tyberis alveo olim erutus, in quo Adamante incisa est Lupa illa.

Quæ parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat &c. Cic. de Divin. 38.

Annulum hunc in Museo Stroziorum nunc extare, Hyacintus Gimma testatur Tom.1. l.2. cap.1. Apud eumdem, & alios Scriptores magna in laude ponitur Thomas Threscia Mediolanensis, qui primus omnium posterioribus hisce seculis ausus fuerit imaginem in Adamante scalpere, quique in eo præter cætera, Philippi II. Hispaniarum Regis Gentilitium, ut vocant, stemma eleganter expressit. Similem Adamantem apud Secundum Lancellottum Monachum Olivetanum scriptum legimus extitisse in Magni Etruriæ ducis Thesauris unius fere nucis magnitudine cum Insignibus Mediceis sanequam affabre elaboratis ab Andrea Fuater Haspurgensi. *Oggidì disingan.* n.35. Thomas Garzoni *Piazza universale* disc.58. magnis laudibus effert Ambrosium Charadossum Papiensem, quod in Adamante quatuor Ecclesiæ doctores scalpserit, Gemmamque illam a Julio II. duobus, & viginti millibus aureorum coemptam fuisse commemorat, eaque ornari solitum Summi Pontificis pectus, dum publice sacrum faceret. Neque vero hac nostra ætate desiderati sunt in hoc genere peritissimi artifices. Nam, ut vivos prætermittamus, magna celebritate famæ notus est Flavius Zirleti, qui in Adamante Laocoontis effigiem insculpsit. Rhodigino lib.29. cap.x. Antiq. lect. persuasum fuit, plumbo, Leonis, Hircique sanguine Adamantas molliri.

§. XXIII.

De duplici effigies in gemmis exprimendi ratione.

JAM vero quæcumque in gemmis elaborarentur imagines, alterutro ex his modis fiebat, & fit etiam nunc. Quædam enim, inquit Raphael Volaterranus lib. 27. *Scalpuntur in Sigilla* quæ Græci σφραγῖδα *vocant; quædam in parvas imagines, & scalpturas extantes, quas Plinius l. 10. Seneca item de Beneficiis Ectypas imagines vocant; Italici vero Camæos.* Cerutus, & Chiocchius in Museo Calceolario hujus vocis Camæi originem esse putant Græcum καῦμα quod idem est, ac incendium, propterea quod lapillos hujusmodi in locis sulphureis oriri dicant. Etymologia nimis longe repetita. Neque multo magis placet hæc alia καμαὶ id est *humi*, quemadmodum a κάω h. e. elaboravit, utpote nimis communes. Nam *Camæi* nomine non tam lapilli genus, quam artificium, & opera significatur.

§. XXIV.

De restituta imagines ex gemmis exsculpendi, & illas in iisdem insculpendi arte.

UTraque autem ars revivisceere primum cœpit Martino V., Pauloque II. Christianam Rempublicam administrantibus; eademque magis, magisque viguit Magnifici Laurentii Medices, Petrique filii studio; qui illius peritissimos homines Florentiam accersiverunt. His autem præceptoribus usi admodum profecerunt Joannes Florentinus *delle Corgniole* vulgo dictus, & Dominicus Mediolanensis vulgo *de Camei*; quorum ab altero incisa est in Corneola Fr. Hieronymi Savonarolæ effigies; ab altero ex Rubino masculo Ludovicus Morus Mediolanensium Dux est exsculptus. Regnante postmodum Leone X. magna fuerunt in gloria Petrus Maria Pesciensis, & Michaelinus, e quorum schola perfecti, politique prodierunt Joannes Bernardi e Castro Bononiensi, Valerius Vicentinus, & Matthæus del Nassaro Veronensis. Joannis Bernardi celebratur scalpta in Crystallo pugna ad Mantinum in Corsica, quam pugnam jussu Alphonsi Ferrariensium Ducis elaboravit, & ex eadem materia fuerunt artefacta plura, quæ partim Clemens VII., partim Cardinales Salviatus, atque Farnesius sibi depoposcerunt. Matthæus vero del Nassaro, qui Marcum Carrà, & Tromboncinum cives suos Magistros habuerat, dum illi apud Mantuæ Marchionem diversarentur, in Jaspide viridi sanguineis veluti guttis respersa Christi Servatoris de Cruce jam sublati Corpus effinxit ita, ut rubeæ illæ maculæ pectoris, manuum, ac pedum vulnera designarent. Hic postea Francisci

cisci Regis accitu in Galliam se contulit, cujus jussu præter cætera Dejaniræ caput Leonina pelle contectum summo artificio perfecit. Valerius vero Vicentinus in utroque artis genere egregius extitit. Ejus permagno æstimata fuit Theca Chrystallina, cujus unaquæque facies variis cruciatuum generibus Christum Dominum affectum ostenderet. Quæ quidem Theca a Clemente VII. Francisco Gallorum Regi dono data fuit Niceæ, quæ est Urbs Galliæ Narbonensis, in quam ambo inter se colloquendi causa convenerant. Quod vero tantum in ea re profecisset, Galeatio Mondella, & Nicolao Avanzi acceptum referre debuit; qui duo sese Romæ in hac arte diu, multumque exercuerant. Et sane, quod ad Nicolaum attinet, Christum Infantem puerum recens natum una cum Virgine ipsius Matre, pluribusque hinc atque inde arcanæ rei spectatoribus ex lapide cæruleo, sive, ut vocant *Lazulo* mirabiliter ab eo formatum Urbini Ducis Conjux habere voluit. Digni præterea, quorum mentio fiat, Marmitas Parmensis, cujus perelegans fuit Socratis Philosophi caput; Dominicus de Polo, qui Alexandri Medices vultum finxit; Aloysius Anichinus Ferrariensis, qui, ut Cardinalis Farnesii voluntati obsequeretur, Henrici Galliarum Regis, & Phocionis Atheniensis vultus in Camæo, ut usitatis verbis utar, expressit. Nec prætermittendus est Joannes de Rossi Mediolanensis qui una in gemma satis ampla Magni Hetruriæ Ducis, Eleonoræ Conjugis, ac Liberorum, Florentiæque ipsius Urbis imagines miro artificio operaque perfecit. Hæc omnia ex Georg. Vasario desumpsimus Tom.3. in vita Valerii Vicentini, ubi opifices etiam alios enumerat. Eorum nomina recenset etiam Hyacinthus Gimma Tom.2. l.1. cap.3. art.4. Hujusmodi autem artifices a Græcis δακτυλιόγλυφοι dicebantur, S. Augustinus lib.21. de Civit. Dei gemmarum Insignitores appellat, & Sigillariarios vetus Inscriptio apud Gruter pag. 638. quæ est hujusmodi

C. IVNIO THALATIONI
C. MOECENATIS LIBERTO
FLATVRARIO
SIGILLARIARIO
C. IVNIVS EVOKATVS FELIX
TIT. D. D.

Sigillariarius legitur etiam apud Fabret. pag.177. & pag.243. apud Reynes: Class. II. num.80. *Sigillarius*. Quamquam, cum sigilli nomen videatur non solum imaginibus in cera ad epistolam obsignandam

dam impressis, sed etiam imagunculis quibuslibet convenire, ideo Sigillarii aut Sigillariarii vocabulum non speciatim ad hos artifices arbitror pertinere.

§. XXV.

De verbis aut litteris in veterum gemmis inscriptis.

IN Gemmis una cum imaginibus adjuncta non raro invenitur inscriptio indicans vel ejus nomen, cujus facies exprimitur, vel clarum aliquod facinus, vel sapienter dictum, vel etiam artificis nomen, aut obscuriores quasdam allegorias, de quibus postremis alius erit separatim dicendi locus. Nomen alicujus clari hominis v. g. significat gemma, quam profert litteratissimus D. Antonius Franciscus Gori in Museo Inscriptionum Tab.2. ubi Victor Athleta mensæ adstat in qua palmæ ramulus reportatæ victoriæ indicium, & præmium. Inscriptio est: PHILETIMS h. est *Philotimus*, quod Græcum appositum idem est, atque *Amans honoris*. Quocirca quæri illud posset utrum nomen multis commune, an proprium viri alicujus existimare illud oporteat. Nomen certe viri proprium in hoc ipso Museo Odescalcho adjectum est Scipionis sub Crystallina ejus imagine Tab.24. Tom.1. & illud Julii Cæsaris sub ejus effigie scalpta in Chalcedonio Sapphirino ejusdem Tomi Tabula 26. similia nunc in Museo Inscriptionum D. Antonii Francisci Gori Tabula præsertim 5. Gemm.2, ubi miles in saxo sedens radiata indutus est gladioque galea accinctus scutum cum duabus stellis in eo insignitis ostentat. Inscriptum enim ibidem est: ΑΛΚΙΒΙΑΔΗϹ ΕΡΑϹΜΙΟϹ *Alcibiades amabilis*: nec non Tab.7. gem.2. ubi Imperator paludatus cui servulus barbatum virile caput recisum offert cum hac epigraphe in suggestu DIV. Jul. Alia denique, in qua Athleta capite leoninis exuviis operto cum inchoatis verbis his LIB. ÆL. AVR. FOR. quæ sic idem vir doctissimus explicat *Libius* (id est Livius) ÆLIANUS *Aurelianus Fortis*. In quibusdam gemmis sunt solum vocabulorum primæ litteræ ut apud eumdem Gorium Tab.3. Tom.5. in qua Faunus seu Pastor Caprum ad Bacchi aram trahens: adjuncta enim sunt M. T. C. domini fortasse prænomen, nomen, & cognomen indicantia. Insigne facinus denotatur ibidem Tab.3. ubi Sardonyx delineata est, in qua Venus armis insidens dextraque hastam sustinens, lævaque Lusitantem Cupidinem prehendens cum rámo palmæ a tergo, cum lemmate ΑΡΗΟϹ ΝΙΚΗΘΕΝΤΟϹ hoc est *Marte devicto*. Quid autem dicam de precationibus interdum adscriptis ut apud Spon. Miscell. sect.1. art.5. XIX. ubi in gemma una cum Serapide & Harpocrate incisum est *Conservate me* & sect.9. ubi de Amuletis. Multo enim ibi plures videamus licet hujusmodi lapillos

etiam

etiam ſine imagine ſoliſque cum litteris, ut Corneolam primam in qua KYPIA XAPE. *Domina ſalve.* Et aliam, in qua *Hoſpita felix vivas.* Sunt denique etiam gemmæ, quarum pars adverſa faciem, averſa ſcripturam demonſtrat. Sic in ſupra memorati Goriani Operis Tab. 12. eſt Onyx, in cujus una ſuperficie caput Apollinis laureatum aſpicias, in altera legas P. CLOD. POMP. h. e. *Clodius Pomponianus.*

§. XXVI.

De Artificum nomine in antiquorum gemmis inſcripto.

REperiuntur item gemmæ complures, in quibus inſcripta ſunt Artificum ipſorum nomina, quarum non paucas in ſuo Opere *De antiquis gemmis Sculptorum nominibus inſignitis* pereruditus D. Baro Philippus Stochius collegit. Eas hic nos etiam hoc ordine ponimus.

Aetionis	*Hercules Bibax.*
	M. Aurelius.
	Priamus.
Agathopi	*Socrates.*
	Caput ignotum.
Alexandri	*Amor Leonem domans.*
Alliorus	*Muſa.*
	Apollo.
Anterotis	*Hercules Buphagus.*
Apollodori	*Minerva Salutifera.*
Apollonidis	*Taurus procumbens.*
Apollonii	*Diana Montana.*
Aſpaſii	*Minerva Salutifera.*
	Juppiter.
Auli.	*Eques Græcus.*
	Quadriga.
	Diana.
	Æſculapius.
	Ptolemæus Philopater.

Axeochii	*Faunus Bacchans.*
Cæcæ	*Gladiator Rudianus.*
Carpi	*Bacchus, & Ariadne.*
Chneii	*Hercules Juvenis.*
Coimii	*Adonis.*
Dioſcoridis	*Auguſtus.* *Mæcenas.* *Mercurius.* *Diomedes cum Palladio.* *Perſeus.* *Hercules cum Cerbero.*
Epitynchani	*Germanicus.*
Evodii	*Julia Titi.*
Eutychis	*Minerva.*
Felicis Calpurnii	*Diomedes cum Ulyſſe.*
Heii	*Diana Venatrix.*
Hellenii	*Harpocrates.* *Philoſophi caput.* *Cleopatra.*
Hylli	*Taurus Dionyſiacus.*
Lucii	*Victoria in Biga.*
Myconis	*Caput Senile.*
Myrthonis	*Leda.*
Nicomachi	*Faunus.*
Oneſæ	*Muſa* *Hercules Olivarius.*
Pamphili	*Achilles Citharœdus.*

Per-

Pergami	*Bacchans.*
Phanacis	*Equus Marinus.*
Philemonis	(*Theſeus.* (*Fauni caput.*
Plotarchi	*Amor Leonem domans.*
Polycleti	*Diomedes Palladio potitus.*
Pyrgoteles	(*Alexander Macedo.* (*Phocion.*
Quintilli	*Neptunus.*
Scilacis	(*Satyri Caput.* (*Hercules Muſarum.*
Seleuci	(*Silenus.* (*Diomedes Palladio potitus.*
Solonis	(*Mæcenas.* (*Meduſa.* (*Cupido.*
Sophoclis	*Meduſa.*
Soſtrati	*Amor Leonem domans.*
Sotrati	*Meleager cum Atalanta.*
Thamiridis	*Sphynx.*
Triphonis	*Nuptiæ Cupidinis.*

Alias affert D. Gori in eo, de quo diximus Commentario ſunt autem.

Agathopidis	*Caput ignotum*, fortaſſe illa eadem, quam affert Stochius.
Amphoteri	*Rhoemetalces Thracum Rex.*
Antiochi	*Minerva bellatrix.*

Beſi-

Besitali	*Cupido alatus*,
Cleonii	*Apollo Citharædus*.
Cronii	*Musa stans, & ad lyram pulsandam se accingens*.
Peigmonis	*Baccha furens, ac saltans*.
Stephani	*Pegasus*.

Nonnulla profert D. Ridolphinus Venuti Patricius Cortonensis, & de antiquitatis studiosis præclare meritus in Collectaneis Romanarum Antiquitatum videlicet Tab.68. Agathangeli *Caput incognitum*, quod quidem nomen cum apud veteres Scriptores non inveniatur, existimat fuisse manu alicujus recentioris adscriptum. Et Tab.74. Pyladis *Montem Argeum*, quod tamen nomen illud esse Artificis non asseverat. Et Tab.75. Gellii *Athletam*. Quædam ex iis nominibus, quæ supra diximus leguntur in Plinio, nimirum *Apollonius*, *Cronius*, *Dioscorides*, atque *Pyrgoteles. Sed an aliquis ex istis gemmas a nobis prolatas cælaverit, temerarium est* inquit Jacobus Sponius in Miscellaneis Eruditæ Antiquitatis sect.4. *pronunciare nullo alio argumento, quam nominis similitudine quæ inter Græcos non raro occurrit*. Sed vere argumentum esse potest aliud elegantia ipsa operis, propter quam illorum eorumdem Artificum nomina in hujusmodi Gemmis consignata vere fuisse sapientes alii, peritissimique viri opinantur. Nec prætermittendum hic artem hanc Thynos præcipue populos coluisse, qui ex Thracia in Minoris Asiæ regionem Bithyniam à se denominatam transierunt. Confirmant hoc Catulli versiculi

Remitte pallium mihi meum, quod involasti
Sudariumque setabum Chirographosque Thynos.

Ubi Salmasius pro *Chirographos* mavult *Cirographos* h. e. *Cerographos*, ut ipse ait, & ceram imprimentes, & signantes annulos. Sententiamque suam fulcit versiculis aliis, qui apud Isidorum leguntur, quosque ipse sic emendat, ac legit:

Lucentes, mea vita nec Smaragdos,
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes,
Nec percandida margarita quæro
Nec quos Thynia lima perpolivit
Anellos, nec Jaspios lapillos &c.

§. XXVII.

De imaginibus in gemmis ad obſignandum a Romanis adhibitis.

GEmmarum hoc pacto ſcalptarum non unus apud Romanos illos veteres uſus fuit. Præcipuus tamen hic erat ut epiſtolas, vel, ut ſi opus erat, quamcumque aliam rem obſignarent. Verum ab initio, ut ait Attejus Capito apud Macrobium lib.7. Saturn. cap.13. *Imprimebatur ſculptura materiæ annuli, ſive ex ferro, ſive ex auro foret ... Poſtea luxuriantis ætatis uſus ſignaturas pretioſis gemmis cœpit inſculpere, & certatim hæc omnes imitatio laceſſivit, ut de augmento pretii, quo ſculpendos lapides paraſſent gloriarentur.* In eamdem fere ſententiam Plinius lib.33. cap.1. *Multis hoc modis, ut cætera omnia luxuria variavit gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque optimo digitos onerando... Mox & effigies varias cælando, ut alibi ars, alibi materia eſſet in pretio.* Poſt introductas gemmas obſignandi cauſa, *Sardonychas*, addit idem Hiſtoriæ naturalis author, *placuiſſe in noſtro Orbe initio, quoniam ſolæ prope gemmarum ſcalptæ ceram non auferrent.* Et fane obſignandi tantum cauſa incluſam in annulo gemmam geſtandi poteſtatem factam fuiſſe, legimus l.74. ff. de verb. ſign. Ex Romanis primum omnium gemma, eaque Sardonyche ſuperiorem Africanum uſum fuiſſe, Plinius memoriæ prodidit lib.37. cap.6. de Annulo Signatorio, ſive Sigillaritio, quemadmodum illum in Aureliano Vopiſcus appellat, copioſe ſcripſerunt Henricus Hornmannus, qui etiam *de Sponſalitio*; Joannis Kircmannus in libro ſingulari *de Annulis*, Georgius Longus *de Annulis Signatoriis Antiquorum*, Abrahamus Gorlæus in ſua Dactyliotheca, Alexander ab Alexando lib.2. cap.19. *Genialium dierum*, & alii. Hi omnes varias in annulorum gemmis imagines ad obſignandum a Romanis adhibitas ex antiquis monumentis, & Scriptoribus colligunt. Primis temporibus nudis dumtaxat litterarum notis ſignabant, ut ſcribit Meurſ. Exercit. Erit cap.9. *Succreſcente autem luxu*, pergit Georgius Longus, *Adſcitis gemmis, deſitæ litteræ, ſculpturæ locus fuit.* Quænam in Africani Sardonyche inciſa eſſet effigies, Plinius non dicit. Verum Scipionis ejuſdem imaginem a Filio in annulo inſculptam non ſolum Plinius, ſed etiam Valerius affirmat lib.3. cap.1. Quemadmodum illam Avi ſui Lentulus uſurpavit. In Syllæ vero Dictatoris annulo Jugurtham Numidiæ Regem captivum inſculptum fuiſſe, Plutarchus in vita, & idem Valerius teſtantur lib.8. cap.15. Commemoratur præterea Rana Mœcenatis. Plin. ibid. Pompeii Leo Enſifer, ſive Macherophorus. Plutarch. in vita: Sphinx Octavii Auguſti. Plin. l.37. cap.1. & Svetonius in Oct. cap.50. Qui poſtea mutato conſilio Alexandri Magni imaginem adoptavit a

Dioſcoride ſumma opera, artificioque perfectam. Quod ſignum etiam poſteriores Principes retinuerunt, ſi unum Galbam excipias, qui majorum ſuorum inſtituto, ut eſt apud Dionem, & Cæl. l.6. cap.29. inſculptum canem ſeſe è prora proclinantem habebat. Julius Capitolinus in vita Claudii Albini inſerit litteras, quibus Commodus ad ipſum Claudium Albinum ſcribit; In quibus eſt: *quas ipſe ſignatas excipies ſigno Amazoniæ*. Hoc autem ſignum ipſe maluit Martiæ improbæ fœminæ gratia, quam, inquit, Lampridius in Commod. *pictam in Amazone diligebat, propter quam Amazonius vocatus, & Amazonico habitu, atque veſtitu in arenam Romanam proeedere conſuevit*. Ante illum ſignum hoc ipſum C. Ceſtius Vir Conſularis detulerat, ut eſt apud Plinium lib.34. cap.8. Immo Nero ipſe Imperator: ſed neſcio, an in digito, & in gemma detulerint; quod tamen in Annotationibus ad Alexandrum Neapolitanum Andreas Tiraquellus affirmat. Macrianorum familiam hoc habuiſſe proprium, ut imagine Alexandri Magni ſignaret, apud Trebellium Pollionem in vita triginta Tyrannorum perſcriptum extat: Romani cæteri modo Harpocratis, & aliorum Ægyptiorum Numinum Plin. lib.33. cap.3. modo Epicuri, & Athletarum vultus in Signatoriis annulis exprimendos curabant, & unuſquiſque eam poteſtatem habebat, ut quibus liberet inſignibus uteretur. De hoc liquebit facile legentibus Plautum Pſeud. act.1. ſect.1.

Tuam amicam video Calliodore. Ca. ubi ea eſt obſecro?
Eccam in tabellis porrectam, in cera cubat.

Plinio juniori placuit quadrigæ ſignum, quo ſeſe uſum fuiſſe, cum eſſet Proconſul in Bythinia, ſæpius commemorat. Claudio ſolum regnante vetitum eſt gemmis ſignare, ſed auro ſolum permiſſum, quod gemmas violare ſignis nefas eſſe ducerent. Ita Plin. lib.33. cap.1.

§. XXVIII.

De quibuſdam imaginibus in gemmis, quibus ad obſignandum exteræ nationes uſæ ſunt.

A Primis uſque temporibus rem uſitatam fuiſſe annulum ſignatorium, quem vocant, planum fit in libro Geneſ. cap.40. ubi a Pharaone traditus Joſepho Signatorius annulus fuiſſe legitur. Verum inde non conſtat, neque in annulo gemmam inſertam, neque in gemma imaginem potius inſculptam, quam litteras aliquas extitiſſe. Quocirca divinare videntur Gretſerus l.4. cap.8. de Cruce, cum dixit in Joſephi annulo ſignatam Crucem fuiſſe, & Gregorius Tholoſanus lib.6. de Rep., ubi narrat in annulo Davidis ſcalptum fuiſſe Leonem,

eum-

eumdemque morem alios postea Judæ Reges retinuisse, quod memoriæ prodidit Rabbi Abraham in Cabala Historica cap.1. & 17., conjecturam inde fortasse capiens, quod Sanctus Rex ille, cum adhuc juvenili esset ætate, pastoritiamque vitam in silvis ageret, Leonem interfecisset, vel quod significari voluisset Oraculi divini verba: *vicit Leo de Tribu Juda radix David.* Quod attinet ad nationes reliquas, Persarum Reges Cyri effigiem gestasse, vel Darii illius, qui, quod ipsius equus primus hinnitum edidisset, primus ipse Rex est creatus, testimonio Thucydidis comprobatur. Arius Lacædemoniorum Rex epistolis Aquilæ Draconem unguibus comprehendentis signum imposuit. Joseph Antiquit. *Jud.* lib.12. cap.2. Et quamvis Plinius lib.33. cap.1. hæc habeat: *Non signat Oriens, aut Ægyptus, etiam nunc litteris contenta solis*, tamen Ulyssis imagine Ptolemæum III. signasse, reperio apud Euphantem lib.4. Hist. (quem locum Athenæus affert lib.6.cap.6.), signo Anchoræ Seleucum apud Justinum lib.15. & Clement. Alexandrinum *Pædagog.* cap.11. Agathoclis Aristomenem Athenienſium Ducem apud Polyb. l.15. Cariatidum Saltantium Clearcum Lacedemonium apud Plutarchum in *Artaxerse*; & Mithridatis Athenionem Athenienſium Tyrannum apud supra memoratum Athenæum lib.15. cap.11.

§. XXIX.

De peculiaribus quibusdam signis in Gemmis veterum Christianorum.

NON dedecere Christianos homines annulum signatorium, clarè docet Clemens Alexandr. l.3. Pædog. cap.11. ubi eum Matrifamilias non ad ornatum, sed ad custodiam permittit; illud insuper præscribens, quibusnam sit imaginibus distinguendus, docens annulorum hujusmodi signa esse debere *vel Columbam, vel Piscem, vel Navem vento secundo impulsam, vel Lyram, qua usus est Polycrates, vel Anchoram, qua Seleucus, vel Piscatorem, ut meminerint Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim*, inquit, *Idolorum sunt imprimendæ facies, sed nec ensis, vel arcus iis, qui moderati sunt, & temperantes.* Multorum Christianorum hominum annuli notam hanc ☧ imprimi solitam legimus apud Card. Baronium Tom.1. ad Annum Ch.57.num.51. Hoc enim Monogramma in quibusdam se vidisse, commemorat, qui in Sanctorum Martyrum Cryptis inventi fuerant; per eamque Notam Sanctissimum Christi nomen significatum esse opinatur. Non desunt tamen, quibus ea ipsa res dubitationem aliquam afferat, quæ tamen tolletur prorsus legentibus Fortunatum Schaccum lib.1. Sacror. Eleocrys. Pignorium de Isidoriano Crysimo, Fortunatum

natum Licetum l.6. de Antiquorum Lucernis, & P. Eduardum de Vitris de Elevatione Corporis S. Clementis, & Marchionem Victorium de Monogrammate Sanctissimi Nominis Jesu. Ex hujusmodi Christianorum Gemmis tres apud nos sunt in Museo Kirkeriano; Amethystus, Chalcedonius, & Onyculus, sive Niccolus. In his omnibus incisa est Anchoræ figura, & utrimque circa Anchoræ dentes pisciculi. In earum una addita est sigla illa notissima ἰχθὺς h. e. Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς Σωτὴρ *Jesus Christus Dei Filius Salvator*.

§. XXX.

De Gemmis a veteribus ad ornatum adhibitis.

ANnulos aureos, & eos plerumque gemmatos fuisse unum ex Equitum & Senatorum insignibus, notum est; diserteque illud a Dione lib.47. affirmatum invenio; cujus hæc verba sunt: *Apud Romanos non modo liberto, sed nec ingenuo quidem ulli aureo annulo uti licebat, nisi Senator esset, aut Eques*. Postea Militibus quoque, & cuivis infimi generis homini licuisse quis nescit? ita, ut aliqui non solum unum annulum in uno digito, sed plures etiam in pluribus habere non erubescerent. Irridentur a Martiali l.5. 63.

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Et lib.9. 60.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit annulos.

Idem lib.VII.

Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Jaspidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.

Reprehenduntur etiam a Seneca *Nat. Quæst.*VIII. 31. *Exornamus annulis digitos, & in omni annulo gemma disponitur*. A declamatoribus etiam grandes annulos indui solitos fuisse, non incredibile putat Cresolius Theat. Rhet. l.3. cap.15. *quibus*, ut ipse ait, *non modo manus, sed dictio quoque ipsa quodammodo illuminaretur*. Hippiam quidem in Olympiis consuevisse ostentare annulum, cujus ipsemet fuisset artifex, Cicero, Apulejus, & alii apud eumdem Cresolium commemorant. Athenion pariter Sophista prodiit in publicum χλαμύδα λαμπρὰν ἐκτείνων, καὶ περικείμενος δακτύλιον χρύσιον. *Splendidam vestem trahens, & annulum gestans aureum*. Fuscum Rhetora annulis usum argenteis in scriptis reliquit Plinius *lib.32. cap.12.* Nondum tamen declamatorum annulos gemmatos fuisse constat. Perspicuum erit ex Pers. Sat.1. ubi Satyricus Poeta naso suspendit adunco declamatorem, qui *natalitia cura Sardoniche albus*

celso

celso in suggestu multis audientibus importunum os ostentabat. Ex Juvenali quoque *Sat.* 7. in qua negat, æquo animo Patronum auditum iri, *nisi fulserit annulus ingens*, quem esse oportere gemmatum, qui sequuntur versus declarant:

Conducta Paullus agebat
Sardonyche, atque adeo pluris, quam Gallus agebat.

Quintilianus lib.2. cap.3. Oratori suo dat veniam, si, *ut aurea illa luce, & splendore lapidum manus insigniat, modo eas ornet potius quam oneret*. Declamatoribus hac profecto in re Musici, & Symphoniaci non concesserunt. Ismeniam illum Choraulem sex denariis aureis coemisse Smaragdum accepimus, in quo smaragdo sculpta Amymone fuerat, hoc est una ex quinquaginta Danai filiabus, quæ a Neptuno compressa Nauplium illi peperit. *Hic* (*Ismenias*) *videtur* inquit Plinius lib.37. cap.1. *instituisse, ut omnes Musicæ artis hac quoque ostentatione censerentur, veluti Dionysiodorus æqualis ejus & æmulus ... Tertius qui eodem tempore fuit inter Musicos, Nicomachus &c.* Multo magis opinandum est, ornatus causa geri solitas fuisse gemmas illas, in quibus ectypæ imagines, & protuberantes extarent, ita ut ex iis, quæ minores essent, non secus ac nostra ætate fieri solet, Matronarum etiam torques, atque armillæ contexerentur. Hoc etiam animadvertit Clarissimus, mihique, dum viveret, perbenevolus Senator Bonarota *Osservazion &c.* pag.15. in Proæm. Ex hujusmodi Camæis minoribus non pauci Museo Kirkeriano testamento relicti sunt ab harum rerum studiosissimo Marchione Alexandro Gregorio Capponio. Nobiliores autem sunt Bacchus in Coralloachate, Bacchanal in Onyculo colore partim subnigro partim subviridi. In Leucachate Cajus, vel Drusus Tiberii F., Sergius Galba, Ganymedes raptus ab Aquila, Isis præterea, cui capitis tegumentum est Gallina Numidica, quod quidem symbolum argumentum dissertationis fuit, quam doctissimus Præsul Justus Fontaninus conscripsit. Quamvis autem Recentioris alicujus Sculptoris opere, & manu facta fuerit, silentio præterire nolo Hieronymi Savonarolæ effigiem in Camæo a Capponio pariter nobis legatam, ubi quadruplex quasi est colorum ordo. Hi autem tam ingeniose fuerunt ab artifice peritissimo prope dicam arrepti, ut partes omnes ea, qua opus esset, varietate distingueret. Ut autem ad Camæos illos majores jam veniam, recte opinatur Clarissimus Bonarota eosdem loco fibularum adhibitos, quibus vel circa humeros, vel ante pectus vestium partes connecterentur. Horum autem tamquam exemplum in eodem opere pag.218. Chalcedonium profert, ubi muliebris facies exsculpta. Sardamque non dissimilem pag.288. quibus addere nos possumus

mus eadem fere ſpecie Achatem Sapphirinum conformatum, quem una cum antiquis monumentis aliis SSmus Dominus Noſter BENEDICTUS XIV. Muſeo Kirkeriano quam liberaliſſime dono dedit. Has autem gemmas omnes a tergo perforatas decuſſatim aſpicias, ut vinculis funiculiſve transjectæ alligari facilius iis, quas diximus veſtimentorum partibus poſſent. Atque huc ſpectant verſus, quibus idem Bonarota & alii hanc opinionem confirmant; Sidonii videlicet Carm. 5. v. 18.

Oſtricolor pepli textus, quem fibula torto
Mordax dente vorat: tum quicquid mamma refundit
Tegminis, hoc patulo concludit gemma reciſſu

& Claud. de raptu Proſerp. l. 2. v. 42.

Collectæ tereti nodantur Jaſpide veſtes

& ejuſdem in *Sext. Conſul. Honor.*

Viridique anguſtat Jaſpide pectus

Hac tamen in re eo inſaniæ devenit nemo, quo Antoninum Helagabalum deveniſſe ſcribit Lampridius. Is enim *in calceamentis gemmas deferebat, & quidem ſculptas, quod riſum movebat omnibus, quaſi ſculpturæ nobilium artificum videri poſſent, quæ in gemmis adhærebant.*

§. XXXI.

De Gemmis antiquis, quæ pro Amuletis habebantur.

GEmmas denique ſcalptas, vel etiam ſculptas in Amuletorum numerabant loco. Amuletum ab *Amoliendo* dictum nihil aliud fuiſſe, niſi medicamentum, quod de collo ſuſpendebatur, aut alia quacumque ratione ad amoliendum præcipue faſcinum adhibebatur, Grammatici omnes conſentiunt. *Faſcinum* inquam neutro genere. Nam *Faſcinus* Deus potius erat, cujus ope faſcinum amoliri ſe poſſe, crederent. Vide Plin. l. 28. cap. 7. Horum Amuletorum tum Ethnicorum, tum etiam Hæreticorum complura profert Pignorius in Caracteribus Ægyptiorum. In Amuletis autem exprimebantur in primis myſticæ quædam rerum allegoriæ, ut oſtendit Aleander *Tabul. Heliac. Explic.* Omnes tamen hujuſmodi allegorias commemorare pudor nos vetat. Gemmas vero etiam in quibus Cæſarum eſſent effigies, tamquam Amuletum aliquod exiſtimatas fuiſſe, probat Clariſſimus Bonarota *Oſſervazion &c.* pag. 413. Hanc enim vim illis ineſſe ſtulte putabant, ut, qui eas deferrent, gratioſi, & potentes evaderent, votorumque compotes fierent. In harum gemmarum numerum veniunt profecto illæ, quarum Camillus Leonardus Piſaurenſis Medicus in Speculo Lapidum apud Cornelium a Lapide in Apocalip. cap. 2. mentionem facit. Qui inter cætera Aſinum in Chryſolitho inſculptum geſtantes face-

facere rerum futurarum præſcios contendit, Arietem in Sapphiro illud efficere, ut quis è carcere proripiat ſeſe, honoreſque, dignitates, & regnum adipiſcatur. Upupam, ſi cum dracontio herba ante ſe in Beryllo reperiatur, mortuos evocare, a quibus reſponſa accipiantur. Hominem in Chalcedonio cum dextera manu erecta ad hoc eſſe perutilem, ne litem quis perdat; Crucem item in lapide viridi, ne quis naufragium faciat, aut in aqua demergatur. Plura hujuſmodi congerit etiam Plinius l.37. inania ſine dubio, ſuperſtitioſa, atque ridicula. Superſtitionis tamen non omnino arguit Senator Philippus Bonarota milites illos, qui Gorgonum vultus in Camæis grandioribus gererent: ſiquidem terribilis ille aſpectus audaciam ingenerare in eorum animis, magnoque ad ſtrenue bellandum incitamento eſſe poterat.

§. XXXII.

De Commentarii hujus utilitate, atque fine.

HIs igitur gemmis, monumentiſque aliis, quæ in hoc Muſeo Odeſcalcho delineata jam fuerant, propoſitum erat Henrico Brulæo breves explicationes adjungere. Sed quoniam, Deo Optimo Maximo ſic decernente, quod jam ante inſtituerat ad exitum perducere nequaquam potuit; conabor ego, quantum ſitum in me erit, ejus quaſi diligentiæ vicarius conſtitutus perficere, atque ex Tabulis reliquis ratiocinationes, & conjecturas, quæ ad ad Mythologiam, Hiſtoriamque magis, magiſque illuſtrandam opportuna videbuntur, depromere. Neque vero jure quiſquam ſuccenſere nobis poterit, quod quaſi actum agere, & quæ litteratis, eruditiſque viris nota uſquequaque ſunt, tamquam novum, atque indictum aliquid rurſus apponere videamur. Querelæ enim huic, quis in aliis quoque diſciplinis locum eſſe poſſe, non videt? cum non ſolum in ſtirpibus, ac cæteris naturæ fætibus, ſed etiam in iis quæ ab humanis ingeniis pariuntur, nihil ſub ſole novum oriri, certiſſimo ſacrarum litterarum teſtimonio compertum ſit. Quamquam quis omnino illa novitatis expertia eſſe dicat, quæ ſaltem ob alium collocandi, comparandi, & interpretandi modum, delectationis neſcio quid legentibus afferunt; quod antea non afferebant? Huc accedit, quod ſi Commentarius hic noſter in manus eorum, qui rerum antiquarum habent jam ſcientiam, pervenerit, inde illis excitari illarum memoria poterit, quarum obliti fortaſſe fuerint. Si autem earumdem ignari, ac rudes omnino ſint, invenient in hoc libello haud ita magno elementa quaſi quædam, quibus percipiendis primos quodammodo gradus aſcendant; ut deinde aliis majoribus quaſi pervolutan-

lutandis ad ſummum prope dicam plenioris eruditionis faſtigium perveniant. Quis enim niſi admodum opulentus, atque copioſus Muſea omnia, quæ ad hanc diem in lucem prodierunt in promptu habeat, & in quibus illuſtrandis homines omni doctrinæ genere præditi operam poſuerunt? Si quis autem illa omnia poſſideat, poterit iſtud quoque ſuis Bibliothecis adjungere, in quas fraterno quaſi jure aditus illi non impediendus videtur. Etenim ſi minus ob Interpretis ſcientiam, ob monumentorum certe præſtantiam digniſſimum eſt; quod inter cætera non poſtremum locum obtineat. Si alterutrum ab humaniſſimis Lectoribus conſequar, hujus me laboris qualiſcumque fuerit fructum tuliſſe magnum exiſtimabo.

DE ANTIQUITATIS COGNITIONE SERMO

DICTUS ANNO MDCCXLVI.

A NICOLAO GALEOTTI S. J.

PRiſcorum Urceolos, Pateras, Crateras, Ahena,
Guttos, & Strigiles, & Tintinnabula Thermis,
Aut pecudum, ſicut nunc mos eſt, pendula collo
Inſcriptoſque notis lateres, ſignataque ruptis
Nomina marmoribus, Tripodas, Coclearia, Cultros
Panas, & Harpocratas, denaſataſque Dianas
Si quis habet, magni faciat; ſic nam fore ſpes eſt
Illi ut non modicè res, atque pecunia creſcat.
Scilicet & Marti data ſunt ſpectacula abunde,
Bellonæque ſatis. Bona Pax id habebit, opinor, 10
Interdicta prius perrumpens clauſtra Britannus
Naviget ut rurſum, atque Arctoum trans mare currat
Ad nos; in terram & defoſſum quicquid ubique eſt,
Sedulus inquirat magno mercatus Achate
Mænadas inſculptas, magno Soliſque Quadrigas,
Magno & Peſcenni perrara Numiſmata Nigri
Vel meritò: Faſtos nam ſi quis diſcere Mundi,
Indiciis & amet diſtinguere tempora certis,
Idem ſi populos, ditiones, oppida primum
Cæpta coli, & Regum res geſtas, bellaque, & arma, 20
Tum quæ forma Deum templis, aut qui ſitus olim, &
Cætera de genere hoc, melius pernoſcere non eſt,
Talibus in rebus quam ſi conſumere curam
Non pigeat veterum ſcrutantem marmora, & æra,
Rubigo licet, & longus detriverit uſus.
Recte ergo. Aſt mi alio libet hinc decurrere. Namque
Si quantum cuperem, poſſem quoque; nollem ego fracta
Cornua Faunorum reparare, Jovique refectam
Hammoni barbam, Citharamque inducere Phæbo.
Facta ſed, atque animos potius, moreſque Quiritum 30

Erue-

Eruere illorum, quorum cantatur in Orbe
Nunc fama, & belli virtus spectata, domique est.
Sed voti quoniam fieri sententia compos
Hæc nequit; Heroum velut ægri somnia quasdam
Fingam animo species, ut eorum ingentia facta
Mente memor teneam; simul ut, quam quisque meretur
Exponam breviter subscriptam carmine laudem.
Offerat at nolim veterum se fæmina quæquam.
Harum interdicti vultus: Lucretia quamvis
Hæc sit, & Ausoniis laus ingens extet in actis. 40
Illam equidem non tam fecisse viriliter, atque
Rectum animi servasse reor, dementibus acta
Cum furiis ultro sese morti dedit, omnem
Tristitiam extremo meditans finire dolore
Tarquinium tam sæpe domi sibi adesse, forisque
Nolle pati, & longum plus æquo incidere ludum
Debuerat Mulier, sic frugi, sicque pudica
Mansisset servans vitam, & cum corpore famam.
Sæpius apposito quid mirum conflagret igne
Si stipula, & validas sumant incendia vires? 50
Ampla igitur primus surgat mihi Brutus in Aula,
Quem pulso tandem, vetus est ut fama, Superbo
Alterum, & id merito, clamavit Roma parentem.
Hic ab se multum cernens abludere Natos
Non blando illorum prætexens nomine culpam,
Aut male connivens lætos impune vagari
Est passus, docilis tolerare domestica facta
Asper in externos tantum, judexque severus;
Sed recti, & legum custos, rigidusque satelles
Non sibi, non patrio quicquam concessit amori. 60
Quin & perfidiæ damnatum crimine utrumque
Nil dubitans, mente, atque animo liberrimus uri
Se coram virgis jussit, ferroque necari.
Ponant qui leges, plures reperire queamus;
Non itidem, leges positas qui, juraque servet.
Proximus huic solio se tollat Quinctius alto.
Adsint, qui exiguum censum, tristemque repulsam
Tanto devitant animi, capitisque dolore.
Non hic muneribus, non turpi fænore honores

Extor-

Extorsit, latum aut demisit pectore clavum. 70
Sed sibi dum vivens, & Rege beatius ævum
Degens incultam pacaret vomere terram,
Vicino invitus rure est extractus in Urbem;
Sex quater & fasces, Patribus censentibus, uni
Ultro delati; Imperium ut, patriamque levaret
Ægram ex præcipiti, certam ferretque salutem.
Nec mihi, præclaro quamvis non sit patre natus,
Virginius desit: sobolem quippe ille pudicam
Facto, atque opprobrio incolumem ut servaret ab omni,
Insons ipse prius, vitaque, & pectore puro 80
Non venale habuit Natæ decus, atque pudorem;
Sed grave cum damno ne afferret tetra libido
Dedecus, in jugulo ferrum tepefecit acutum
Illius, immeritæ licet; & sævire tyrannus
Maluit immanis, genitor quam leno videri.
Quarta volo Curium mihi repræsentet imago.
Hic non, ut stultè gnatones, ac parasitos
Pasceret, argenti congestum pondus, & auri
Prodigus effudit; conductis rara nec empta
Ingratæ apposuit nummis obsonia turbæ. 90
Sed quamvis Latiis Legionibus imperitaret,
Intra naturæ contentus vivere fines,
Seque uno, atque una dives virtute patellis
Fictilibus rapas fumantes prætulit auro
Ictu fulmineo persæpe potentius aurum
Castella evertit, turresque & saxa refringens
Summe munitas Regum penetravit in arces.
Hujus non animum labefecit; quippe subactis
Divitibus dare jura, decus fore credidit ingens
Non illorum opibus, gemmis fundisque potiri. 100
Undique discisso, & terebrato corpore acutis
Clavis, dissectis palpebris Regulus arcæ
Roboreæ inclusus simulacrum est ordine quintum.
Orantem blando quisquis sermone moratur
Cuilibet arridens, & promittens fore curæ
Rem sibi, cum verè nequeat præstare, fidem qui
Et socium ob titulos simulator fallit inanes
Hinc abeat. Dictis ne qua essent absona facta

Nem-

Nempe hic se uxori, patriæ, charisque propinquis
Ultro subduxit, Lybicas ultro ipse secures 110
Et lethum appetiit, summum ratus esse malorum,
Exprobrare sibi siquis perjuria posset.
Quid Fabius factis, & nomine maximus ille
Qui Hannibalem dirum fugiens, cunctansque fefellit?
Non hic facturum se multa, & magna professus,
Nec plusquam deceat, majoraque viribus ausus
Quicquam commisit, sibi quod foret inde pudori;
Sed quod suaderet ratio, & prudentia secum
Disquirens tacitè, ventura pericula cautè
Vitavit; contra quam quos plus gloria justo 120
Titillat, faciunt; qui pulchra, & magna minati
Ridiculos pariunt mures, & fabula fiunt.
Jamque locum effigies poscit sibi celsa Catonis.
Essent quicumque in trutina gravis author eadem
Omnes mortales posuit formidine nulla
Imbutus, precibus non exorabilis, æqui,
Quisque ut erat meritus, dans convenientia cuiquè,
Æquè pauperibus dans, & locupletibus æquè.
In medio emineat Mæçenas ultimus; atque
Tali vita hominis pateat descripta tabella. 130
Hic magnis quamvis esset majoribus ortus
Et bene nummatus; fasces, ebur atque curule
Neglexit, nocitura putans, quæ profore credunt
Ad cælumque ferunt stulti clamore secundo.
Non verbo quemquam violavit, rodere amicos
Nescius absentes, vel eorum commoda, & artes
Obliquo limare oculo. Bonus, atque benignus
In quemvis, fuerat quotacumque pecunia fundis
Collecta, intentos studiis, & rebus honestis
Hac juvit; Vates præsertim. Divite namque 140
Ipso nemo eguit; togulæ, sestertia cœnæ, &
Quod caput est, amplus datus est pro munere census:
Denique sit finis. Satis insanire, superque
Nempe ego sum visus. Fors est qui scire laboret,
An Curii, Attilii, atque aliorum cætera turba,
Complexus breviter posui quos carmine primos,
Nunc superent, vigeantque? meum hoc disquirere non est.

Cum

Cum coram aſpicio tam Sancti clara Senatus
Lumina, eos Fabios, & magnos eſſe Catones
Autumo. Relligio, Pietas, Orbiſque regendi 150
Cura vigil, rectique tenax, & neſcia fraudis
Mens, atque utilium cunctarum provida rerum,
Concedant faciunt noſtra ut nil tempora priſcis.
Unum hoc, Mæcenas vivorum hoc tempore quiſquam
Nec ne ſit? addubitem; miſeros errare poetas
Nam video, atque inopes, quibus eſt & curta ſupellex,
Et nihil in loculis. Quo res hæc pertinet? aut nos
Vatum excerpendi numero ſumus; aut bene veſtrum,
Qui Mæcenatis fungatur munere, nemo eſt. 159

INDEX
TABULARUM,
Quæ in hoc Primo Tomo continentur, & explicantur.

APOLLO, in Chalcedonio. *Tabula I.*
ASTARTE, in Prasma. *Tabula II.*
ISIS AVERRUNCA, in Jaspide rubro. *Tab.III.*
AVENTINUS, in Heliotropio. *Tabula IV.*
HYACINTHUS, in Corneola, *Tabula V.*
MARSYAS, in Cameo. *Tabula VI.*
MEDUSA, in Cameo multicolore. *Tab.VII.*
GORGONIS CAPUT, in Cameo. *Tabula VIII.*
ATALANTA, in Chalcedonio, *Tabula IX.*
JOLE, in Cameo. *Tab. X.*
OMPHALE, in Heliotropio. *Tabula XI.*
BACCHA, in Amethysto. *Tab.XII.*
SATYRUS, in Cameo. *Tab.XIII.*
HELENUS, in Hyacintho. *Tabula XIV.*
ALEXANDER MAGNUS, ET OLYMPIAS, in Cameo. *Tab.XV.*
DEMETRIUS πολιορκητής, in Cameo. *Tab.XVI.*
PTOLEMÆUS Rex, in Onyculo. *Tabula XVII.*
CLEOPATRA, in Crystallo. *Tabula XVIII.*
ROMA, in Onyculo. *Tab.XIX.*
ROMA, in Corneola. *Tab.XX.*
L. JUNIUS BRUTUS, in Amethysto. *Tab.XXI.*
SERVILIUS AHALA, in Jaspide rubro. *Tab.XXII.*
NUMONIUS VAALA, in Amethysto. *Tab.XXIII.*
SCIPIO AFRICANUS, in Crystallo. *Tab.XXIV.*
CAJUS MARIUS, in Cameo. *Tabula XXV.*
JULIUS CÆSAR, in Chalcedonio Sapphirino. *Tab.XXVI.*
CICERO, in Cameo. *Tab.XXVII.*
LIVIA DRUSILLA, in Cameo. *Tabula XXVIII.*
TIBERIUS, in Cameo. *Tab.XXIX.*
AGRIPPINA GERMANICI, in Cameo. *Tab.XXX.*
GALBA, in Amethysto. *Tab.XXXI.*
HADRIANUS, in Granato. *Tabula XXXII.*
ANTINOUS, in Corneola. *Tabula XXXIII.*
M. AURELIUS, in Achate. *Tabula XXXIV.*
CRISPINA, in Jaspide. *Tabula XXXV.*
L. SEPTIMIUS SEVERUS, in Corneola. *Tab.XXXVI.*
L. SEPT. SEVERUS, ET FILII, in Amethysto. *Tab.XXXVII.*
ALEXANDER SEVERUS, in Corneola. *Tab.XXXVIII.*
CONSTANTINUS MAGNUS, in Onyculo. *Tab.XXXIX.*

SACER-

Sacerdos, in Corneola. *Tabula XL.*
Larva Scenica, in Cameo. *Tabula XLI.*
Larva Sileni, in Corneola. *Tabula XLII.*
Capita Incognita, in Jaſpide rubro. *Tab.XLIII.*
Caput Incognitum, in Corneola. *Tab.XLIV.*
Capita Incognita, alterum in Smaragdo, alterum in Corneola. *Tab.XLV. & XLVI.*
C. Marius, in Cameo. *Tab.XLVII.*
Claudius, in Jaſpide Viridi. *Tabula XLVIII.*
Venus, in Cryſtallo, *Tab.XLIX.*

MU-

T. I.
APOLLO
In Calcedonia
P. SRI

MUSEUM ODESCALCHUM

SIVE

THESAURUS ANTIQUARUM GEMMARUM

PARS PRIMA

GEMMÆ CAPITA REFERENTES.

TABULA I.

APOLLO.

Pollinem diversis insignibus ornatum pretiosa exhibet hæc Gemma, cujus facilis patebit explicatio, præmissa brevi hujus Dei historia.

Fabulati sunt antiqui Latonam Cœi, & Phœbes filiam ab Jove ob eximiam pulchritudinem compressam fuisse. Quam quum sensisset Juno esse gravidam, qua potuit majori crudelitate insectata est. E visceribus terræ Serpentem Pythonem eduxit, cui commisit vindictam. Terra universa jurare

coacta, quòd illi parturienti locum nullum præberet, infelix Latona in coturnicem conversa ad Neptunum ab Aquilone, Jovis jussu, perlata est. Ortygiam insulam quæ eo tempore instabilis erat, si forte sub undis non delitescebat, fluctibus cooperuit Neptunus, ibique locum; in quo parturiret, Latonæ præbuit. Illa amplexa palmam enixa est Apollinem, & Dianam. Tunc Neptunus Insulam Ortygiam in superiorem partem retulit, tridentisque ictu stabilem reddidit; quæ postea Delos est appellata, quod nomen manifestum, & apparens significat. Vide Nat.com. lib.4. c.10. Hyg. fab.140.

Plurimos Apollines recenset Cicero lib.3. de Nat. Deor. quorum res gestas ad unum Apollinem Latonæ, & Jovis filium referunt Mythologi. Hic idem est ac Sol, autor carminis, divinandi arte, & vaticiniis celebris, sagittandi peritia clarus, musicam adhuc, & citharam invenit, eloquentiam, & medicinam percalluit. Tot Dotibus ornatum aspere tamen tractavit amor; quum enim Daphnem Penei fluminis filiam insequeretur, illa a terra præsidium petit, quæ eam recepit in se, & in Arborem laurum commutavit. Ramum hujus arboris avulsit Apollo, capitique imposuit, deincepsque Laurus dicata ei fuit, & nuncupata Apollinea. Ovid. Met. lib.1. fast.6.

Venit Apollinea longas concordia lauro
Nexa comas

Quoniam vero laurus dicata erat vaticinii Deo, nil mirum, si eam multum conferre vaticinationibus existimaverunt antiqui. Tibul. lib.2. eleg.3. Proper. lib.2. eleg.6. Fulg. lib.1.

Caput Apollinis duodecim radiis insignitum totidem refert signa Zodiaci, teste Thom. Farnabio in Virg.

Æneid.

Æneid. lib. 12. v. 162. Aliquando & Coronam Capite geſtabat duodecim lapidum pretioſorum. Albric. de Deorum Imag.

Hunc Deum intonſum, & crinitum antiqui expreſſere, quia prolixi capilli radios, quos Sol diffundit per univerſam terram, repræſentant. Æſychius tamen prolixos capillos interpretatur privationem doloris: unde Apollo ab omni cura, & perturbatione ſolutus a Græcis φοῖβος vocatus eſt; Bacchus etiam eodem modo effingebatur. Tibul. lib. 1. eleg. 4. v. 23.

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque Juventa,
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum

Apollo ſemper repræſentabatur imberbis quia Juventæ præerat, & quum idem ſit cum Sole, ut ſupra diximus, *Occidendo, & renaſcendo ſemper eſt juvenior*; Fulgent lib. 1. c. 17. Mos tamen fuit apud Syrios barbatum Apollinem fingere. Imperfectam enim juventutem exiſtimabant Aſſyrii, quum neque ad naturæ ſummum acceſſiſſet, neque ob rerum præteritarum experientiam prudentia muniretur.

Alas Capite geſtat ad denotandam velocitatem qua vias cæli perluſtrat.

Lyra, vel Cithara Muſicæ inventorem denotat, vel cœleſtis harmoniæ imaginem monſtrat.

Inſulæ Delus ſtabilitati, Apolliniſque in ea nativitati alludit Tridens Neptuni inſigne.

Et quoniam veriſſimum eſt Lunam Solis curſibus obſequi, nullamque aliam lucem niſi ab eo recipere, probabile eſt eam ideo ſub mento Apollinis a ſolerte artifice fuiſſe exſcalptam.

Gemmam huic noſtræ ſimilem refert D. Cauſeus de la Chauſe, quam ſoli Orienti attribuit: illius ingenioſam vide explicationem in lib. cui titulus: *Le Gemme antiche figurate*.

TA-

TABULA II.

ASTARTHE.

ICET de Dea Aſtarthe plurimum diſſentiant Mythologi, eam tamen eandem eſſe cum luna affirmare non dubitamus. Cicero qui lib.3.de Nat.Deor.plurimas enumerat Veneres in earum numero collocat Aſtarthem: *Quarta Venus Syria, Tyroque concepta, quæ Aſtarthe vocatur, quam Adonidi nupſiſſe tradunt*. Sanctus Auguſtinus quæſt. ſup. Jud. lib.7. Junonem eam appellat. *Juno autem ſine dubitatione ab illis* (Punicis) *Aſtharte vocatur*. Alii aſſerunt eam vocari Iſim apud Ægyptios, Alittam apud Arabes, Mylittam apud Aſſyrios, Metram apud Perſas, & Dianam apud Græcos. Sacræ paginæ ſub nominibus Aſtaroth, Deæ & abominationis Sidoniorum Aſtarthem deſignant.

Quod vero Aſtarthe eadem fuerit ac Luna ex his, quæ ſequuntur, arguimus:

I. Ex verbis Jeremiæ cap.7. v.18. qui referens ſacra quæ ſecundum veteres Deæ Aſtarthe agebantur eam Reginam cœli appellat: *Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli*.

II. Herodianus in vita Elagabali de Aſtroarche Dea Phœnicum, quæ eadem eſt ac Aſtarthe, his verbis mentionem facit. *Afri Uraniam vocant, Phœnices Aſtroarchem, Lunam eſſe affirmantes*.

III. Luna falcata, quæ ſuper mento inſculpta videtur, denotat iſtud idolum vel Lunam eſſe, vel maximam cum Luna relationem habere.

Ne-

T. II.
ASTARTE
Cameo in Plasma

Neque noſtræ ſententiæ obſtant verba Ciceronis, & S. Auguſtini: facile enim eſſet omnes Ciceronis Veneres ad ſolam Aſtarthem ſeu Lunam reducere. Et probabile eſt ſecundum S. Aug. a multis Authoribus Aſtarthem eandem cum Junone exiſtimatam fuiſſe; ſicut enim Juppiter Ammon ſeu Sol ſub figura arietis adoratus fuit, ita Junonem Ammonianam ſive Lunam ſub ovis effigie venerati ſunt Populi Lybiæ. Vox enim Aſtaroth Hebraice idem ſonat ac grex ovium.

Quod Aſtarthe notis Iſidi propriis ſit inſignita minime ſtupeo, quum utriuſque hiſtoriæ adeo conſimiles ſint, ut aliam ab alia diſtinguere operis eſſet arduiſſimi, niſi ſciremus Iſim & Oſirim in Ægypto, Aſtarthem & Adonidem in Syria regnaviſſe.

TABULA III.

ISIS AVVERUNCA.

OT hieroglyphicis divinitates ſuas involverunt Ægyptii, ut quaſcumque figuras Ægyptio more, & ridicule quidem expreſſas ad Iſidis, vel Oſiridis fabuloſam hiſtoriam referre jure merito, & aliqua probabilitate nixi poſſimus. Hinc eſt, quod Iſim Averruncam appellaverunt viri eruditi, tria hæc capita ſimul jugata, quæ in præclariſſima Jaſpide rubra exhibentur. Iſis enim eadem eſt, ac Luna teſte Abenephio auctore Arabe cujus hæc verba refert Kircherius Oedip. Ægypt. Synt. 3. de Orig. Idol. Ægypt. *Memorant Philoſophorum, Perſarum, & Ægyptiorum familiæ, quod Oſiris de cujus Operibus ante locuti ſumus, nihil aliud ſit, quam Sol; uxor vero Iſis Luna*. Plutarchus, Macrobius, Euſebius, Lucianus, aliique innumeri Iſim Lunam eſſe affirmant. Quum autem Luna triplex eſſe dicatur, eadem Luna, eadem Diana, eadem Proſerpina; ideſt, cœleſtis, terreſtris, & inferna, ut videre eſt in prudent. contra Symm. lib. 1.

Et regnare ſimul cœloque, ereboque putatur
. . . . . .
. . . . *terque ſuas eadem variare figuras*
Denique quum Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu:
Quum ſuccinta jacit calamos Latonia virgo eſt:
Quum ſubnixa ſedet ſolio Plutonia conjux.

Ita tribus his capitibus, triplicem Lunæ dominatum indicari autumant rerum antiquarum Interpretes. Quia autem ſuprema ſapientia in cœlo ſedem obtinet, per caput Sapientis Socratis intelligunt Lunæ domina-

T. III.
ISIDE AVERRVNCA.
In Diaspro Rosso.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.

minationem in cœlo. Per Proboſcidem explicant Sedem Dianæ in terris. Proboſcis enim Symbolum eſt Africæ ubi regnabat Iſis, nobilioremque mundi partem illam exiſtimabant Ægyptii. Caput vero quod deorſum reſpicit denotat Inferos *ubi ſubnixa ſedet ſolio Plutonia conjux*.

Caducæus ibi adpoſitus Averruncam eſſe hanc Iſim deſignat; Averrunci autem Dei vocabantur illi, qui mala imminentia alio avertebant: averruncare enim idem ſonat, ac depellere: Porro quum Caducæus ſit felicitatis, paciſque typus, ſperabant Iſidis cultores ſe per Iſim nullis calamitatibus fore obnoxios.

Ne dicas Socratem Ægyptiis ignotum non potuiſſe ab eis in gemma exprimi, aſſerimus enim gemmam hanc noſtram, non ab Ægyptio, ſed a Græco artifice fuiſſe inciſam: Græci autem ab Ægyptiis Deorum nomina & ritus ſacros mutuati ſunt, ut docet Herodotus in Euterpe, his verbis χρεὸν δὲ καὶ πάντα τὰ ὀνόματα τῶν Θεῶν ἐξ Αἰγύπτου ἐλήλυθε ἐς τοῦ ἑλλάδα. *omnia fere Deorum nomina ex Ægypto in Græciam commigrarunt*.

Quoniam vero Symbola hieroglyphica ampliſſimum præbent conjecturæ campum, ſi ea quæ de tribus his capitibus conjicio, animis moroſis non arrident, ænigma Oedipo feliciori ſolvendum relinquo.

TA-

TABULA IV.

AVENTINUS.

VENTINUM Herculis ex Rhea filium in hac gemma exprimi judicamus ex illius protome, quæ in ædibus Capitolinis adſervatur. Ille eſt qui Turno adverſus Æneam ſuppetias tulit, & quem pelle leonina indutum repræſentat Virgilius Æneid. lib.7. v.669. his verbis.

Herculeoque humeros indutus amictu.

Leonis exuvias portat, vel tanquam filius Herculis, vel ad denotandam animi fortitudinem, *contra quam nulla vis corporea prævalet, quæ ſemper ſpolium Leonis, ideſt, vim virtutis defert*. Albricus de Deor. Imag. Qua ratione etiam alii quamplurimi Leonis ſpoliis pro tegumentis uſi ſunt, nomenque Herculis ſibi arrogaverunt, inter quos Commodus cujus vide diverſa numiſmata cum inſignibus Herculis in Vaillant. num. præſtantiora.

TA-

AVENTINO
In Elitropia

T. V.
GIACINTO
In Corniola
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.
PSBI

TABULA V.

HYACINTHUS.

HYACINTHUS OEbali, vel ut aliis placet, Amyclæ Laconiæ Regis filius. Hic ab Apolline adamatus, ab ipſo dum diſci jactu ſimul certarent, imprudenter interemptus in florem ſui nominis mutatur. In ejus honorem feſta inſtituta ſunt, & ludi quotannis celebrati, quorum deſcriptionem vide in Athen. lib. 4. ante illius aram, teſte Pauſan. in Lacon. ſacrificare conſueverant Lacedæmonii. Hyacinthi morti alludit Martialis lib. 14. epig. 164.

Splendida quum volitent Spartani pondera diſci,
Eſte procul pueri, ſit ſemel ille nocens.

Diſcus autem erat rotunda quædam moles ſaxea, aut lignea, vel ferrea, ſive plumbea, cujus jactu juvenes inter ſe certabant; victorque evadebat, qui aut longius, aut altius projeciſſet.

Arcum, & ſagittam geſtat propter nimiam venandi cupiditatem, unde ſic Ovidius Met. lib. 10. loquens de Apolline Hyacinthum proſequente.

Immemor ipſe ſui non retia ferre recuſat,
Non tenuiſſe canes, non per juga montis iniqui
Ire comes: longaque alit aſſuetudine flammas.

Diademate inſignitur tanquam Regis filius: interdum enim Regum filii Reges denominabantur, Regiiſque decorabantur inſignibus.

TABULA VI.

MARSYAS.

QUAM turpe eſt, & periculoſum ſibi nimis præſidere! temerarii enim, inquit Valer. Max. lib.9. c.8. *Nec ſua pericula deſpicere, nec aliena facta juſta æſtimatione perſequi valentes* temeritatis ſuæ, ſerius ocius pœnas luunt. Hujus ſententiæ documento eſt Marſyas. Ille Oeagri, vel juxta alios, Hyagnidis filius paſtor erat Phrygiæ unus ex Satyris, qui quum eſſet ruſticus, hac ratione Muſicus evadit. Primum tibiis ita uſus eſt, ut compaſtorum plauſibus ubique cohoneſtaretur: eorum laudibus elatus eo ſuperbiæ advenit, ut ipſum Apollinem provocare auſus ſit. In certamen deſcendit Apollo, eo tamen pacto, ut victus victoris leges ſubiret. Conditionem accepit Marſyas, ſimulque cum victoria vitam miſere amiſit, nam de pinu arbore propinqua ſuſpenſus, & excoriatus imprudentiæ pœnas dedit. Ita Nicander in his carminibus.

Πολλάκι κ᾽ πίτυος γοερῶς ἀπὸ δάκρυα τμῆξαι
Μαρσύᾳ ἧχτε φοῖβος ἀπόφλοια δύσατο γυίων

Sæpius & lacrymas de pinu triſtis ademit
Marſyæ ubi Phœbus nudavit cortice membra.

Satyri, Fauni, & Nymphæ eum defleverunt, & ex eorum lacrymis ortus eſt fluvius, qui teſte Ovidio Met. lib. 6. *Marſya nomen habet*: Alii tamen fluvium Marſyam ex Marſyæ ſanguine profluxiſſe contendebant. Palæphatus cap. 48.

TA-

MARSIA.
In Cameo.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

T. VII.
MEDVSA.
In Cameo di piu colori.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.

TABULA VII.

MEDUSA.

PROFANATI templi, violatæque Numinis ſui majeſtatis ultores Deos agnoverunt antiqui. Quod fabulantur de Meduſa, id ad ſuperbiæ, & arrogantiæ caſtigationem, & ad Deorum vindictam referunt Mythologiæ moralis interpretes.

Meduſa Phorci, & Ceti vel alterius monſtri marini filia, capillorum pulchritudine inſignis, auſa eſt cum Minerva de forma contendere, templumque hujus Deæ cum Neptuno crimine nefando fœdare. Quam injuriam iniquo animo ferens Minerva, ſcelus inultum non paſſa eſt: nam Meduſæ comam, cujus ſplendore captus fuerat Neptunus, in ſerpentes convertit, deditque illi hanc vim, ut quicumque eam aſpexiſſet in lapidem verteretur, ut innuit Ovid. lib. 1. de Ponto.

Ipſa Meduſa oculis veniat licet obvia noſtris,
Amittet vires protinus ipſa ſuas.

Quum vero tam immane monſtrum intueri nemini liceret, quin ſtatim fieret ſaxeus, mortalium calamitatum miſerti Dei, Perſeum ad obtruncandum Meduſæ caput miſerunt. Ille Mercurii talaribus, & falcato enſe accepto, in ære tanquam in ſpeculo Meduſæ effigiem repercuſſam impune reſpiciens, Pallade manum dirigente, cervicem amputavit. Ex ſanguine de collo defluente natus eſt Pegaſus, & ex guttis deſtillantibus ex ipſo capite, orta ſunt varia ſerpentum genera. Hyginus, & alii complures Pegaſum ex concubitu Neptuni, & Meduſæ natum affirmant.

TA-

TABULA VIII.

GORGONIS CAPUT.

TRES fuiſſe Gorgones, eaſque ex iiſdem natas parentibus, quibus etiam Meduſa, e Phorco ſcilicet & Ceto, docent Mythologi. Quum canæ natæ fuerint primum vocatæ fuerunt Grææ; propter truculentiam verò quam Græci γοργόπτα appellant, dictæ ſunt Gorgones, vel quia habitabant in Dorcadibus inſulis, in Oceano Æthiopico, quas inſulas nonnulli Gorgodas nuncuparunt; Squamoſarum anguium ſpiris capita obſita habebant, unum oculum, dentes in morem aprorum, manus ferreas & alas quibus volarent. Quicumque eas reſpiciebat, in lapidem vertebatur, unde Æſchylus a Natali Com. citatus lib. 7. c. 12.

Πέλας δὴ ἀδελφαὶ τῶν δὲ τρεῖς κατάπτεροι
Δρακόντε μάλοι Γοργόνες βροτοσυγεῖς
Ἃς θνητὸς ὀδεῖς εἰσιδὼ ἕξει πνοας

Sunt tres ſorores his volucres non procul
Serpentibus diriſque comptæ Gorgones
Quas intuens nemo diu ſpiraverit.

Gorgones a Latinis dictæ fuerunt Lamiæ, ſed perperam: Duris enim lib. 2. rer. Lybic. unam tantum Lamiam fuiſſe affirmat, cujus vide Hiſtoriam apud Nat. Com. lib. cit.

De Gorgonibus illud adjiciam, quod exiſtimabant antiqui, tantam gemmæ, in qua exſcalptum erat Gorgonis caput, virtutem ineſſe, ut milites fortes & audaces in bello redderet. Ariſtoph. in Lyſiſt. v. 547.

TA-

T. VIII.
GORGONE
In Cameo
PERI

T. IX.
ATALANTA
In Calcedonia
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.
P. IBI

TABULA IX.

ATALANTA.

SACRA loca non esse contemnenda in Tabula VII. diximus: dicta alio exemplo comprobentur. Atalanta Schœnei filia, corporis viribus, & celeritate, non modo fœminas, sed quoscumque homines antecellebat. A nuptiis omnino abhorrens sylvis se oblectabat, & venatui. Procis suis certamen proponebat, ea lege, ut qui cursu eam vicisset, conjugii sui prœmium assequeretur, victus vero vitam amitteret. Multis jam superatis, tandem ab Hippomene Megarei, & Meropes filio, Veneris arte victa est. Hippomenes enim a Venere tria mala aurea acceperat edoctus quis usus esset in illis. In stadium illa projicit, & dum eorum pulchritudine capta Atalanta colligit, miraturque, illius cursum antevertit Hippomenes & puellam vincit. Quum vero in templo Magnæ Matris moræ impatientes, nulla habita loci reverentia, simul concubuissent, Hippomenes in Leonem, ipsa in Leænam conversa est.

Atalantam sive puellas quæ in ludis Olympicis cursu certabant ita describit Pausanias in Elic. lib.5. *Currunt autem ita: dependent eis capilli, tunica paulo infra genu demittitur, dexter humerus usque ad pectus nudatur*; & Philostratus Junior Icon. XV. Καὶ αἱ χεῖρες ἐς ὦμον γυμναὶ ἀφ᾽ τὸ ἔνεργον εἶ, τῆς ἐσθῆτος ἐκεῖ ἐς περόνας ξυνεχόμενης. *Manus porro ad humerum usque sunt nudæ, ut ad agendum sit expedita, veste ibi ad fibulas contracta.*

Alterius Atalantæ meminit Apollodorus lib. 3. cujus historiam hujus nostræ Atalantæ historiæ quasi similem refert mutato nomine proci illius, & patris. Ea enim erat filia Jasi, a Milanione adamata. Quum per venationis otium in Jovis lucum penetrassent, ibi mutuo complexu coeuntes in Leones mutati fuere.

TABULA X.

JOLE.

OMNIBUS *ex animi perturbationibus, est profecto nulla vehementior amoris furore*. Cic.4. Tusc.75. Nihil enim prodest prudentia & fortitudo contra amoris tela. Herculem tot monstrorum debellatorem teste Ovid. heroid. epist. 9.

Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis
Non potuit Juno vincere; vicit amor.

Joles enim Euryti Oechaliæ Regis filiæ amore captus, eam in conjugium petiit: quam quum recusasset pater, licet certaminis lege debitam, Hercules Oecaliam subegit, Eurytoque interfecto, & urbe diruta, ad Cæneum Eubææ promontorium appulit. Ibi muliebribus indutus vestimentis, Leonis exuvias Jole cessit, & quibus insignibus superbientem exhibet hæc nostra gemma.

TA-

T. X.
IOLE
Cameo in Agata
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.
P. F. B. I.

T. XI.
OMFALE
In Elitropio.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

TABULA XI.

OMPHALE.

NARRANT Mythologi Herculem ob Iphiti Euryti regis filii cædem, a Mercurio Jovis jussu, Omphalæ Jardanis filiæ Lydorum Reginæ in servitutem fuisse addictum, eique inter pedissequas serviisse, & artem sedentariam fœmineo habitu indutum exercuisse, ut innuit Propert. lib. 3. eleg. 9.

Omphalem in tantum formæ processit honorem,
Lydia Gygæo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.

Omphalem vero Herculis armis ornatam sic describit Ovid. Heroi. epist. 9. ubi Dejanira Herculi mollitiem exprobrat.

Proh pudor! hirsuti costas exuta Leonis
Aspera texerunt vellera molle latus.
Falleris, & nescis: non sunt spolia ista Leonis,
Sed tua; tuque feri victor es, illa tui.
Fæmina tela tulit Lernæis atra venenis,
Ferre gravem lana vix satis apta colum:
Instruxitque manum clava domitrice ferarum.
Vidit, & in speculo conjugis arma sui.

Maturantius Statii interpres asserit a multis existimatam fuisse Jolem unam eandemque cum Omphale, quas tamen duas fuisse contendunt omnes Historici.

TA-

TABULA XII.

BACCHA.

IN Indica expeditione Baccus ſocias habuit fœminas, quæ nunc ab inſania Mænades; nunc ab impetu & furore, Thyades, vel a Thya, quæ prima ſacra Bacchi inſtituit; nunc ab intemperantia morumque pravitate Bacchæ vocatæ ſunt. Appellatæ ſunt & Mimallones quia Dionyſum imitabantur. Eæ ſacrorum in honore Bacchi inſtitutorum Sacerdotes erant: currebant autem cum funalibus accenſis per noctem, clamantes Euhoe, quæ voces ſunt bene, ac feliciter precantium. His poſtea vocibus in unum compoſitis Euhœus Bacchus vocari cœpit.

Coronabantur hedera quicumque Libero patri erant initiaturi, vel quia parvus Dionyſus in illa arbore fuit occultatus; ut vero alii, quia ramos uvarum imitatur, vel quod ſemper ſit viridis & juvenis qualis Deus ipſe fingebatur, vel quia ut refert Athenæus refrigerat citra odoris gravitatem, & dicata eſt Baccho qui & potum invenerit, & malis inde naſcentibus ſuccurrat.

Quo veſtitu, quibuſve inſtrumentis uterentur Bacchæ in Sacrificiis diſce ex Ovid. Metam. lib. 6.

Tempus erat quo Sacra ſolent Triaterica Bacchi,
Sithoniæ celebrare nurus; nox conſcia ſacri,
Nocte ſonat Rhodope tinnitibus æris acuti;
Nocte ſua eſt egreſſa domo Regina: Deique
Ritibus inſtruitur, furialiaque accipit arma,
Vite caput tegitur, lateri cervina ſiniſtro
Vellera dependent: humero levis incubat haſta.

Non

T. XII.
BACCANTE
In Ametisto
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
PSBI

T. XIII.
SATIRO
Cameo in Agata.
Nel Tesoro di S. Al. il Duca Odercalchi

Non cervina tantum pelle; ſed aliorum animalium, ſive damarum, ſive caprarum, ſive pantherarum pelle induebantur Bacchæ. Sparſis capillis incedebant propter furorem, quo in ſacrificiis agitabantur. Hinc Ariadne apud Ovid. Heroid. Epiſt. X.

Aut ego diffuſis erravi ſola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo.

Quæ omnia ad gemmæ noſtræ explicationem optime conveniunt.

Illud tantum adjiciam, quod propter multa impura facinora, quæ a Bacchis Sacrificiorum diebus committebantur, viri his myſteriis fuerint excluſi. Pauſanias enim in corinth. narrat Pentheum quemdam ad inſpiciendas Bacchas in Cithæronem perveniſſe, ibique arbore conſcenſa, ſingula quæ fiebant exploraſſe: quam rem quum deprehendiſſent mulieres confeſtim Penthei vivi corpus dilaniaſſe.

TABULA XIII.

SATYRUS.

UNDE originem duxerint Satyri plane incertum eſt. Eos revera extitiſſe affirmant quam plurimi. S. Hieron. in vita S. Paul. prim. Erem. refert homunculum quemdam, aduncis naribus, & fronte cornibus aſpera, cui extrema corporis in caprarum pedes deſinebant cum Antonio loquutum fuiſſe, dixiſſeque ſe eſſe mortalem, atque unum ex Eremi accolis, quos vano errore deluſa gentilitas Faunos, Satyroſque, & Incubos appellat. Pauſanias lib. I. narrat a quodam Euphemio in inſula deſerta, quo ventus invitum pertulerat, viſos fuiſſe Satyros pelle rubi-

cundos, & qui caudas equinis paulo minores in dorſo habebant. De illis mentionem faciunt Philoſtratus, Plinius, Pomponius Mela, & complures alii.

Socios habuit Satyros Bacchus in ſuis expeditionibus, quapropter more Bacchantium pellibus caprarum, vel damarum, ſive pantherarum induebantur. Cum caprarum auribus repreſentabantur ad denotandam eorum ſalacitatem: caprinum enim animal in libidinem, & procacitatem eſt immodicum teſte Pier. valer. lib.X. capra. verb. libido.

Satyros eoſdem fuiſſe cum Silenis & Faunis auctor eſt Nicandri enarrator ὅτοι δὲ ὓς ἡμεῖς Σατύρους λέγομεν, οἱ ἀρχαῖοι Σιλινοὺς ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν ὅ ἐστι λοιδορεῖν. *At vero quos Satyros nos appellamus, antiqui nominarunt Silenos a verbo Sillenin quod conviciari ſignificat.* Nonnius tamen lib.13. v.45. Silenos a Satyris diverſos pronunciat.

TABULA XIV.

HELENUS.

HELENUS Priami ex Hecuba filius, Imperii, patriæque proditor, qua parte Troja facile oppugnari poſſet, Achivis indicavit, qui vitam perfidiæ præmium ei ſervaverunt. In Epirum profectus Pyrrhum regem a navigatione avertit, cæteris abeuntibus naufragium prædixit. Quamobrem a Pyrrho non ſolum benigne acceptus, verum etiam regni parte donatus eſt, quam ipſe nomine fratris ſui Chaoniam appellavit, in qua urbem ad ſimilitudinem Trojæ condidit. Profugum Æneam ibi recepit teſte Virg. Æneid. lib.3.

Quum ſeſe a mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus offert.

Hele-

T. XIV.
HELENO.
In Giacinto

OLIMPIA E ALESSANDRO
In Cameo.
T. XV.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.
P. S. B. I.

Helenus Tiara capite insignitur more Lydorum & Phrygum. Tiara autem erat pileus oblongus, cujus acumen in anteriora supra caput reducebatur. Solis Regibus concessum erat uti Tiara oblonga & non inclinata ut docet Herodotus lib.7. c.33. & Æsychius.

Prolixos habet capillos, ad imitandum Apollinem cujus erat Sacerdos. Vide ea, quæ diximus de capillis Apollinis in Tab. I.

Laurea, qua cingitur, illi tanquam vati competit.

TABULA XV.

ALEXANDER MAGNUS, ET OLYMPIAS.

ALEXANDRUM Magnum, & Olympiadem exhiberi in hoc pretiosissimo cameo jam ante me judicaverunt peritissimi antiquitatum æstimatores. Huic Alexandri effigiei optime congruunt ea, quæ de illo refert solinus c.14. *Erat forma supra hominem augustiore, cervice celsa, latis oculis, & illustribus, malis ad gratiam rubentibus, reliquis corporis lineamentis non sine majestate quadam decorus.* Olympiadem vero agnoscant qui ex vultu conjecturam faciunt. Plutarcus enim in Alex. morosam, & arrogantem eam appellat.

Serpens quem vides in Alexandri galea, & caput Jovis Ammonis humero referenda sunt ad illius ortum ex Jove Lybico in serpentem converso. Olympias enim ab Jove se compressam draconis imagine, prædicabat. Fortasse & Serpens Ægyptium est Hieroglyphicon. Ægyptii per serpentem repræsentabant dominium orbis, Regem optimum & tutelarem, nominis & famæ amplitudinem, ut docet Claud. Min. comment.

ment. ad embl. 1. Alci. Alatus eſt hic ſerpens, ad denotandam Alexandri Magni præcipitem in rebus agendis curam & induſtriam : narrant enim pedites ſic inſtituiſſe, ut ſua celeritate equorum curſum adæquarent.

Caput Serpentibus circumdatum, quod habet in ægide ad pectus, caput eſt Gorgonis quod Alexander geſtabat, vel quia exiſtimabat tantam virtutem huic capiti ineſſe, ut eum invictum redderet. Vide ſup. Tab. V., vel quia Palladem æmulari voluit, ſicut Herculem imitatus eſt in nummis ſuis ubi Leonis pelle indutus repræſentatur.

Omnes imagines Alexandri imberbes ſunt : Τοῦτο δὲ ἀμέλει καὶ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ἐννοήσαντα φασὶ προστάξαι τοῖς στρατηγοῖς ξυρεῖν τὰ γένεια τῶν Μακεδόνων, ὡς λαβὴν ταύτην ἐν ταῖς μάχαις οὖσαν προχειρότατον. *Nempe id Alexandrum quoque Macedonem animadvertentem, edixiſſe ajunt ducibus ſuis, ut barbas Macedonum raderent, quod anſa ſit hæc in prœliis promptiſſima*. Plutarch. in Theſ.

Perſuaſum olim fuit omnia proſpere illi ſucceſſura, qui Alexandrum vel auro, vel argento expreſſum geſtitaret, teſte Trebellio Pollione in Quieto Macriani F. Quam ſuperſtitionem S. Joannes Chriſoſtomus Homil. 25. ad Pop. Ant. acerrima inſectatur increpatione; nam eo tempore abuſus iſte auferri nondum potuerat. Vide Pier. Valer. lib. 32. caput. verb. proſperitas.

De Pyrgotele Scalptore celeberrimo qui temporibus Alexandri florebat, mentio fit apud plurimos auctores ; utrum ejus opus ſit hæc Gemma decidant illi, quibus placet ſuper incertis audacter hariolari.

Gemmam hanc refert Michael Angelus De la Chauſſe eruditiſſimiſque pro more ſuo ſolito notis illuſtrat in Muſ. Rom. ſect. 1.

TA-

T. XVI.
DEMETRIO POLIORCETE
RE
In Cameo

TABULA XVI.

DEMETRIUS πολιορκητής.

EMINEM beatum ante mortem dicendum esse tristi exemplo confirmat Demetrius.

Mortuo Alexandro Asiæ minoris Imperium arripuit Antigonus, qui filium regni successorem reliquit Demetrium. Rex domi, militiæque virtute clarus longo annorum spatio bellum feliciter gessit. Transmisso Euphrate Babiloniam occupavit, Athenas Cassandri Ptolemæique imperio liberavit, Pyrrhum ab oppugnatione Thessaliæ repressit, & propter insignem in expugnandis urbibus virtutem πολιορκητής, idest, urbium expugnator dictus est: Postremo tamen, quum bellum adversus Antiochum suscepisset, libertatem cum imperio perdidit. In Chersonesum relegatus, immodicis voluptatibus indulgens, ex incontinentia correptus periit anno 3753. ab orbe condito juxta Augustin. Torniell. Tom. 2.

Rosam fuisse ab artifice capiti impositam liceat conjicere, ut infortuniis Demetrii alluderet. Rosa enim humanæ imbecillitatis est Symbolum, quia quo die florens, vigensque enitet, eodem ipso defloresci, & elanguet. Pier. Valer. lib. 55. verb. imbecill. hum. Unde post mortem incisam fuisse hanc gemmam arguimus.

TABULA XVII.

PTOLEMÆUS.

PTOLEMÆUS Auletæ regis filius, Cleopatræ frater exhibetur in hac gemma. Ille est qui regni successor relictus a patre Pompejum in acie Pharsalica devictum, & in Ægyptum fugientem interficiendum curavit. Quam proditionem indigne ferens Cæsar ipsum, & vita, & regno mulctavit, regnum vero detulit Ptolemæo illius fratri, qui simul cum Cleopatra regnavit. Quomodo ambo Ptolemæi in nummis distiguantur ita docet Vaillant. Hist. Ptolem. *Hic Ptolemæus puer ut annorum quatuordecim natus conspicitur, cujus imago etsi aliquam fratris majoris speciem præferat, ab eo facile ipso intuitu discernitur. Adde quod fratris capilli paullo longiores sunt, Ægyptiorum more quasi calamistrati; hujus vero tonsi Romanorum exemplo, quasi illorum consuetudine uti voluerit.*

TABULA XVIII.

CLEOPATRA.

PLURIMAS extitisse Cleopatras omnibus compertum est; at Cleopatram ultimam Ægypti reginam, Auletæ Regis filiam, Ptolemæi sororem & uxorem exhibemus in hac gemma. Illa primum a Cæsare adamata ei filium Cæsarionem peperit, deinde ab Antonio justæ uxoris loco habita, illo apud Actium devicto, aspidis morsu, ut creditur, sese interemit.


T. XVII.
TOLOMEO RE
In Niccolo
Nel Tesoro di S. A. Il Duca Odescalchi
P. S. B.

18
CLEOPATRA
In Christallo
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.

emit. Ita Lucius Florus lib. 4. c. 2. *Ubi servari se triumpho vidit* (Cleopatra) *incautiorem nacta custodiam in Mausoleum se (sepulchra Regum sic vocant Ægyptii) recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus juxta suum se collocavit Antonium: admotisque ad venas Serpentibus, sic morte, quasi somno soluta est.* De illius morte hæc cæcinit Hor. lib. 1. carm. od. 37.

Ausa & jacentem visere Regiam,
Vultu sereno, fortis, & asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum.

Gemmam nostram illustrant verba Zenobii Proverb. cent. 5. n. 24. Εἶθ' ἄυτως καὶ Κλεοπάτρα Βασιλικῶς ἑαυτὴν προεσκόσμησα, ἔχιδναν ἐπέθηκε τῷ μαζῷ, καὶ ὑπ' αὐτῷ ἀνηρέθη. *Dein & Cleopatra, regio composita cultu, angues uberibus apposuit, sicque interiit.* Alii brachio, non papillæ angues admovisse, asserunt.

Quoniam vero, ut testatur Suetonius in Aug. c. 17. Cleopatram servatam triumpho magnopere cupiebat Augustus, *illius imaginem tulit in triumpho cum aspide mordicus affixa.* Plutar. in Ant.

Cleopatra diademate caput redimita exhibetur: nam *memoriæ est consignatum inventam esse, manu dextera capiti admota, qua diadema ut verisimile est, teneret, ut etiam mortua, ipsam spectantibus, Regina esse videretur.* Galen. sive Author lib. de Theriaca ad Pison. c. 6.

Sic misere occubuit Regina Regum, filiorum Regum ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ, Regina magna Cleopatra. Vide ejus, numismata apud Vaill. Num. Præst. edit. Rom. Tom. 2.

Vo-

Volunt quamplurimi eam non aspidis morsu, sed veneno interiisse. De hoc plura dicemus in secunda parte hujus Musei.

TABULA XIX.

ROMA.

ROMA domus virtutis, Imperii, & dignitatis, domicilium gloriæ, lux orbis terrarum, & arx omnium gentium, *Urbs* καθ' ἐξοχὴν ut olim Athenæ Ἀθῆ & Alexandria Πολις nuncupata est. A Romanis non modo, sed ab exteris etiam pro Dea habita & culta, templa habuit apud Græcos, & in monte Palatino ipsi ab Hadriano Imp. extructum est, unde epigraphe ΘΕΑ ΡΩΜΗ in nummis insignitur.

Discimus ex veterum scriptis duo ei fuisse nomina, quorum unum apertum & vulgare *Roma*, de cujus origine infra; alterum vero ignotum, sacris abditum, vel paucissimis cognitum, quod *dicere arcanis cæremoniarum nefas habebatur*. Plin. lib. 3. cap. 5. Hujus arcani causam ita expromit Scholiastes Solin. ad lib. 1. c. 2. *Deinde quod quidem putarint nomen Romæ non publicandum, id propterea factum putant, ne ab hostibus carmine, & precibus devoveretur: credebantur enim preces apud Deos inefficaces, si proprium nomen non exprimeretur*. Ideo & occultatum erat numen Romæ tutelare, ut docet Plin. lib. 28. c. 2. *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis Sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve. Durat in Pontificum*

T. XIX.
ROMA
In Niccolo
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

cum disciplina id sacrum. Constatque ideo occultatum in cujus Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.

Nomen Romæ sacrum existimat Pergithius fuisse κεφαλον idest caput, quia ut docet Pier. Valer. lib. 32. bicipitum verb. Roma

Tantum alias inter caput extulit urbes
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Claud. Min. ad Embl. XII. And. Alciati id nomen fuisse Anthusam didicisse tradit.

Sed ad nomen Romæ revertamur. Ita Dionysius Halicar. Κάλλιας ὁ τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις ἀναγράψας Ῥωμίλιν τινὰ Τρῳάδα τῶν ἀφικομένων ἅμα τοῖς ἄλλοις Τρωσὶν εἰς Ἰταλίαν, γήμαι φησὶ Λατίνῳ τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀβορεγίνων, καὶ τεκεῖν δύο παῖδας Ῥῶμον καὶ Ῥῶμυλον· οἰκίσαντες δὲ πόλιν, ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτῶν θέσθαι τὄνομα. *Callias vero qui Agatoclis res gestas descripsit* (narrat) *Romam quemdam Trojanam feminam, quæ una cum aliis Trojanis in Italiam pervenit, nupsisse Latino regi Aboriginum, & peperisse duos filios Remum & Romulum, qui condiderunt urbem, quam a nomine matris suæ Romam appellaverunt.* Alii tamen urbem ab Ænea ædificatam, eique a Roma aliena fœmina, nomen inditum fuisse asserunt. Agathocles siculus refert Romam Ascanii filiam, Æneæ neptem, omnium primam consecrasse in Palatino Fidei templum, in quo monte postea urbs Roma fuerit condita, & ab eadem nomen sortita ad Romulum tandem Martis filium originem suam referebant Romani. Vide S. Aug. lib. de Civ. D. c. 4. & Erhard. Reusch. c. 3.

Verum quidquid sit de Romæ fundatione certam est illam feminino vultu semper a Romanis fuisse repræsentatam, & cum capite galeato ut vel quia Ro-

ma se suis armis tuetur, vel quia a Marte originem se ducere existimabant Romani, unde urbs Martia est appellata. Ovid. 3. trist. eleg. 7.

Dumque suis victrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.

Paludamentum, quod habet ad pectus ornamentum est militare, quo utebantur Imperatores seu exercituum duces, quum ad bellum proficiscebantur.

TABULA XX.

ROMA.

ÆGYPTO capta, & in formam provinciæ Imperii Romani redacta, Barbararum gentium debellatrix Roma in hac carneola exhibetur. Crocodilus, quem vides Ægypti est symbolum & palmæ ramum defert Romæ tamquam pacem a victrice postulaturus. Palma enim insigne est victoriæ nam *si illi pondera magna imponas, ac tam graviter urgeas & oneres, ut oneris magnitudo sustineri nequeat, non deorsum illa cedit, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur. Idcirco in certaminibus fuisse victoriæ signum quamplurimi prodiderunt.* Claud. Min. ad Embl. 37. Alci.

Galeam, quam gestat in capite ex cujusdam animalis, & forte Ichneumonis pelle factam esse existimarem. Ichneumon autem in Ægypto nascitur, Crocodilo infensissimus, licet statura minor cum illo continuum habet bellum, ex quo sæpissime victor evadit, alludit ergo hæc galea virtuti Romanorum, qui etsi numero minores, non modo Africam sed totum pæne orbem terrarum subjugarunt. Galeæ vero olim ex diverso-

Intaglio in Corniola

T. XXI.
LVCIO GIVNIO BRVTO.
In Ametisto.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

verſorum animalium pellibus conficiebantur. Strabo lib. XI. δορὰς δὲ θηρίων ποιεῖσθαι, κράνη τε, καὶ σκεπάσματα, καὶ ἀλ-ζώματα. *E ferarum pellibus galeas aliaque tegumenta & baltea facere*. Alexander Neap. narrat apud antiquos cymbros & Teutones in uſu fuiſſe, ut galeas contegerent horrentium pellibus animalium, quo truculentiores in certaminibus viderentur.

Loricam ſquamoſam qua tegitur ad pectus factam liceat conjicere eam ex ipſa cute crocodili quæ contra omnes ictus eſt invicta teſte Plin. lib.8. c. 25. Ita antiqui heroes ferarum domitarum ſpoliis induti incedebant.

TABULA XXI.

L. JUNIUS BRUTUS.

LUCIUS Junius Bruti cognomentum traxit a ſimulata ſtultitia. Quum enim, occiſo Patre & fratre eandem ſortem a Tarquinio metueret, ſub hac perſona latuit, donec capta occaſione prorumperet, Lucretiam a Sexto Tarquinii filio ſtupratam ultus. Regibus exactis, adſerta libertate, Regum inſignia, faſces ſcilicet & ſecures ad Conſulum Imperium tranſtulit. Duos filios ſuos de reducendis Tarquiniis conjuratos, ipſe virgis cæſos ſecuri feriri juſſit, *ut plane publicus parens in locum liberorum adoptaſſe ſibi populum videretur* L. Ann. Flor. lib.1. c.9. Tandem rebus multis præclare geſtis, in prælio ad Regillum lacum commiſſo occubuit; eumque Matronæ tanquam acerrimum muliebris pudicitiæ ultorem integrum annum luxerunt. Hæc de eo Virgil. Æneid. lib.6. v.817. & ſeqq.

Vis

Vis & Tarquinios Reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fasceſque videre receptos?
Conſulis Imperium hic primus, ſævaſque ſecures
Accipiet: natoſque pater nova bella moventes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.

Lucii Junii Bruti imaginem in nummis habemus & hanc quidem a M. Bruto Cæſaris interfectore percuſſam, ut memoria libertatis vindicatæ, reſtauratæque dignitatis Conſularis facinori ſuo favorem conciliaret. L. Bruti effigiem Marcus deſumpſerat ex illa ænea ſtatua, quæ ſtricto enſe in Capitolio inter Reges ſtabat: cuique, quum Cæſar libertatem Romanam violaret, quidam ſubſcripſit: *utinam viveres*.

TABULA XXII.

SERVILIUS AHALA.

LIBERTATIS publicæ alium defenſorem exhibemus. Ille eſt Servilius Ahala quem L. Quinctius Capitolinus Dictator octogenarius Magiſtrum Equitum ſibi cooptavit, ut in jus vocaretur, Sp. Mælius Eques Romanus, qui frumenti largitione ſupremam auctoritatem a plebe eſuriente mercari videbatur. Mælium parere recuſantem Servilius obtruncat, & jure cæſum pronunciat Dictator his verbis: *Macte virtute, C. Servili, eſto, liberata Republica*. Liv. I. lib. 4. c. 8. Ahalam tamen cuſtoditæ libertatis Civium exilio ſuo pœnas pependiſſe auctores ſunt Cicero, & Valer. Max.

L. Brutum, & Ahalam in denariis ſuis ſignavit M. Brutus Cæſaris percuſſor, & liberandæ patriæ auctor, innuens: quam hic Regibus exactis, ille occiſo

Mæ-


T. XXII.
SERVILIO AHALA
In Diaspro Rosso.


T. XXIII.
NVMONIO VALA
In Ametisto
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
PARI

Mælio pepererant, se Cæsare occiso restituisse dulcissimam periclitantis Reipublicæ libertatem. Adde quod ipse M. Brutus genus suum referebat ad L. Brutum & ad Ser. Ahalam. Ita enim Cicero Tuscul. quæst. lib.4. c. 1. *L. Brutus patriam liberavit, præclarus auctor nobilitatis tuæ*. Et per matrem Serviliam, tutatorem Reip. Ser. Ahalam adtingebat. Vide Plutar. in vit. Bruti L. Beger. in Flor. lib.1. c.9. Morellium Famil. Rom.

TABULA XXIII.

NUMONIUS VAALA.

QUis fuerit ille Numonius Vaala, quove tempore vixerit, arduissima quæstio est. Illius Effigiem in denariis argenteis signatam referunt Vaillantius & Morellius. Non est igitur legatus Vari, ut perperam asserit Vaillantius, cujus fit mentio apud Vellejum lib.2., quique desertis cum equitatu suo legionibus, ipse tamen in fuga periit. Jus enim cudendæ aureæ & argenteæ monetæ sibi retinuerat Augustus, proindeque Numonius Vaala percutere denarios non potuit. Sententiæ autem Sigeberti Havercampi in Thes. Morel. obsequens existimo illum esse qui Vaalæ cognomen ad posteros transmisit, vel eo quod Vallum contra hostes defenderit, vel in castris vallo & fossa muniendis præ cæteris excelluerit. Quod vero bellica ejus decora apud Scriptores non reperiantur, mirari non debemus, tot veterum monumentis amissis.

TABULA XXIV.

SCIPIO AFRICANUS.

CIPIO Africanus ſuperior, Corneliæ gentis decus, exhibetur in hac Chryſtallo. Carthaginenſes apud Zamam victos fractoſque Pop. Romani tributarios fecit & *primus certe hic Imperator nomine victæ ab ſe gentis eſt nobilitatus.* Liv. dec. 3. lib. 10. c. 36. Idem innuit Silius in fine Operis: *Illius tamen clariſſima opera injuriis penſando cives, vici eam ignobilis, ac deſertæ paludis accolam fecerunt: ejus voluntarii exilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, ſepulchro ſuo inſcribi jubendo:* INGRATA PATRIA NE OSSA QVIDEM MEA HABES. Val. Max. lib. 5. c. 3.

Tonſis capillis & barba repræſentatur nam teſte Plin. lib. 7. c. 59. *primus omnium radi quotidie inſtituit.*

TA-

T. XXIV.
SCIPIONE AFRICANO
SCIPIO
In Christallo.
Nel Tesoro di S. Alz. il Duca Odescalchi


T. XXV.
CAIO MARIO
Cameo in Agata
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
R.S.B.I.

TABULA XXV.

CAJUS MARIUS.

. . . . . Quid isto Cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam?
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam
Cum de Teutonico vellet descendere curru.

Juven. Satyr. 10. v. 278.

ILLE enim Marius ex humili loco natus, & ad primos Reip. honores provectus, decus & ornamentum sæculi sui pessimo facinori suam dignitatem præbuit. Egregia & bellica ejus gesta, omnesque ejus consulatus nos docet antiqua inscriptio a Goltzio vulgata.

C. MARIVS. PR. TR. PL. Q. AVGVR. TR. MIL. EX. SORTEM. BELLVM. CVM. IVGVRTGA. REGE. NVMID. VEL. PROCOS. GESSIT. EVM. CEPIT. ET. TRIVMPHANS. IN. IOVIS. AEDEM. SECVNDO. CONSVLATV. ANTE. CVRRVM. SVVM. DVCI. IVSSIT. III. CONSVL. ABSENS. CREATVS. EST. IIII. TEVTONORVM. EXERCITVM. DELEVIT. V. CONSVL. CIMBROS. FVGAVIT. EX. IEIS. ET. TEVTONIS. ITERVM. TRIVMPHAVIT. REMP. TVRBATAM. SEDITIONIBVS. ET. TR. PL. ET. PRAETOR. QVI. ARMATI. CAPITOLIVM. OCCVPAVERANT. VI. COS. VINDICAVIT. POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER. ARMA. CIVILIA. PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. VII. COS. FACTVS. EST. DE. MANVBIIS. CIMBRICIS. ET. TEVTONICIS. AEDEM. HONORI. ET. VIRTVTI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIVMPHALI. CALCEIS. PVNICEIS.

Ubi

Ubi reperta fuerit hæc inſcriptio plane ignoro: antiqua ne ſit an fictitia decidant rerum veterum periti æſtimatores.

Ex gemma noſtra comprobantur quæ de Mario dicit Plutarchus. *Porro faciei Marii Ravennæ vidimus in Gallia poſitum ſimulacrum, ſtatuam marmoream, quæ mire morum ejus acerbitatem, & amarulentiam refert, nam natura quum virilis, & bellicoſus eſſet, atque diſciplina imbutus militari, potiuſquam civili, impotenti iracundia fuit in imperiis.*

TABULA XXVI.

JULIUS CÆSAR.

DIVI JULI. Caput Julii Cæſaris laureatum, penes quod Stella, a tergo lituus.

Poſt mortem Julii Cæſaris fuiſſe exſcalptam hanc gemmam ex epigraphe cognoſcimus. DIVUS enim idem eſt ac inter Deos relatus, more Romano de quo Roſinus Antiq. Rom. lib.3. c.18.

Stella vertici adpoſita ea eſt, de qua ſic Suetonius c.88. *Ludis, quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat, Stella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque eſt, animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti, & hac de cauſſa Simulacro ejus in vertice additur Stella.*

Et eſt fortaſſe Stella Veneris: nam ad hanc Deam generis ſui originem referebat Julius, ut innuit in hac concione, in qua Juliam amitam, uxoremque Corneliam defunctas laudat apud Suet. Cap.6. *Amitæ meæ*

Ju-

T. XXVI.
GIVLIO CESARE
DIVI.IVLI
In Calcedonio Zaffirino
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

Juliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum Dis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Reges, quo nomine fuit mater: a Venere Julii cujus gentis familia est nostra.

Et quoniam in incertis quidlibet conjicere licitum est, aliam ex hac stella conjecturam ducamus; numquid etiam alluderet motui stellarum, & præsertim solis ad cujus *cursum annum accomodavit Julius, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset.* Svet. Cap.40.

De Lituo sic Gellius lib.5. c.8. *Lituus est virga brevis in parte, qua robustior est incurva, qua Augures utuntur.* Baculo adunco, sine nodo regiones direxit Romulus tum quum urbem condidit, eoque ad auspicia usus est. Ille autem post Romæ incendium integer in ruinis est inventus, uti narrat Plutarchus in Camillo. Σκαπτόμενοι δὲ καὶ καθαίροντες τὸ χωρίον ἀπαντᾶσι τῷ μαντικῷ ξύλῳ τοῦ Ῥωμύλου κατὰ τέφρας πολλῆς καὶ βαθείας κατακεκαυκότι· τοῦτο δὴ ἔστι μὲν ἀπκαμπὲς ἐκ δατέρου πέρατος καλεῖται δὲ λίτυον· χρῶνται δὲ αὐτῷ πρὸς τὰς τῶν πλινθίων ὑπογραφὰς ὅταν ἐπ' ὄρνισι ἀφαυντεύόμενοι καθεζῶνται, ὃ καὶ ἐκεῖνος ἐχρῆτο μαντικώτατος ὤν. ἐπεὶ δὲ ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη, φυλαττόντες οἱ ἱερεῖς τὸ ξύλον, ὥσπερ ἄλλο τι τῶν ἱερῶν ἄψαυστον ἐφυλάττον. Τοῦτο δὴ ποτε τῶν ἄλλων ἀπολωλότων, ἀνευρόντες ἀφεφθορὸς τὴν φθορὰν, ἡδέως ἐχρῶντο πᾶς ἐλπίσιν ὑπὲρ τῆς Ῥώμης, ὡς ἀίδιον αὐτῇ τὴν σωτηρίαν τοῦ σημείου βεβαιοῦντος. *In moliendo & purgando loco reperiunt sub magno cumulo cineris Romuli baculum, quo uti ad auspicia solitus erat. Is ab altera extremitate inflexus est, lituum autem vocant. Hujus in cæli regionibus describendis usus est auspicantibus, ad quod ille augurandi peritissimus illum habuerat. Romulo deinde ex conspectu hominum ablato, hunc baculum Sacerdotes a contactu hominum servaverunt,*

runt, ut rem sacram. Eo tunc, amissis cæteris, integro invento, læti spem conceperunt Romam hoc omine æternam significari fore. Lituus vero, non augurum modo, sed & Pontificum erat insigne, ut docet Jacobus Gutherius ab Erhardo Reusch citatus Cap. 3. & Julio datur qui Auguratus & Pontificatus muneribus functus est.

Laurea capite cingitur: nam *deficientem capillum revocare a vertice assueverat & ex omnibus decretis sibi a Senatu, Populoque honoribus, non aliud aut recipit, aut usurpavit libentius, quam jus laureæ perpetuo gestandæ* Svet. C. 45.

Idem Svetonius Cap. 45. eum fuisse scribit *excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis.* Conjuratorum pugione confoditur anno V. C. 710. ante C. N. 44. quum esset ætatis annorum 56. anno Imperii quinto.

TABULA XXVII.

CICERO.

MARCUS Tullius Cicero Arpinas, Patre Marco, Matre Helvia III. Non. Januar. an. V. C. 647. natus est. Per omnes honorum gradus ascendit, eloquio Catilinæ conjurationem repressit, legem Agrariam repulit, primus Parens Patriæ est appellatus; M. Antonium proscripsit, a quo & postea ipse proscriptus dum fugeret, a Popilio Centurione, quem in causa capitis olim defenderat, in villa Cajetana trucidatus est anno V. C. 710. VII. Id. Decemb. *Civitas lacrymas tenere non potuit, quum reci-*


T. XXVII.
CICERONE
In Cameo
Nel Tesoro di S. Altezza il Duca Odescalchi

T. XXVIII.
LIVIA
Cameo in Agata
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
P. E. B. I.

recisum Ciceronis caput in illis suis Rostris videretur. L. Flo. lib.4. c.6.

Super Ciceronis imagine disputant Begerus Thes. Brand. vol.1. p.115. 116. & Gronovius vol. III. Thes. Ant. Gr. Oratorum Principis effigiem, quam Causeus de la Chausse in gemma Sardonyce exhibet, non agnoscit Gronovius, *quum nihil omnino vivacissimi vigoris ejus, ac lætitiæ præferat..... neque nasus, aliaque ad Ciceronem appropinquent*. Ad nummos confugere supervacaneum est, omnes enim sunt dubiæ & incertæ fidei. Hæc de se scribit Cicero in Bru. seu de Clar. Orat. *Erat eo tempore in nobis*, ætatis circiter anno 40., *summa gracilitas & infirmitas corporis: procerum, & tenue collum: qui habitus & quæ figura non procul abesse putatur a periculo vitæ*. Plutarch. in Cicer. *Et profecto erat corpore gracili, atque macilento, & propter stomachi infirmitatem modicum & exiguum cibi vix sero capiebat*.

TABULA XXVIII.
LIVIA DRUSILLA.

CRIBONIÆ morum perversitatem pertæsus Augustus cum ea divortium fecit: ac statim Liviam Drusillam & quidem prægnantem matrimonio Tiberii Neronis abduxit. Idque ex responso Apollinis, ut docet Prudentius in Symm. lib.1.

Idque Deum sortes, & Apollinis antra dederunt
Consilium: nunquam melius nam cedere tædas
Responsum est, quam quum prægnans nova nupta jugatur.

Intra

Intra tres menſes infans qui conceptus erat, immaturus eſt editus: nullam poſt hac progeniem edidit, fœmina omnibus animi dotibus commendanda. Quum illius artibus Imperium adeptus eſſet Tiberius, faſtu plena Imperii ſe negotiis immiſcuit & annos nata LXXXVI. fatis functa eſt.

Hæredem ex parte tertia Liviam inſtituit Auguſtus & ferre nomen ſuum juſſit, unde poſt mariti exceſſum, non Liviam, ſed Juliam fuiſſe vocatam aſſerunt quam plurimi, voluntque a Græcis in eorum narratione, quæ vivo Auguſto contigerunt, Liviam more Poetarum, Juliam fuiſſe appellatam. Caſaubonus & alii has, ſimileſque inſcriptiones referunt ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. ΘΕΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ. Franc. Mediobarbus elegantem nummum, niſi ſubleſtæ eſſet fidei, promulgavit cum epigraphe IVLIA. AVGVSTA. AVG. F. GENETRIX. ORBIS. P. Jobertus tamen ope nummorum eviciſſe credit Liviam, Juliæ nomen nunquam uſurpaſſe, eo quod, nummi, qui conſecrationem ejus celebrant nomine Liviæ, & non Juliæ ſint inſigniti, ut DIVA LIVIA, & ΘΕΑ. ΛΙΒΙΑ.

Nummos cum Liviæ adhuc viventis effigie fuiſſe percuſſos diſcimus ex Ovid. lib. II. ex Pont. epiſt. 8.

Redditus eſt nobis Cæſar cum Cæſare nuper,
Quos mihi miſiſti, Maxime Cotta, Deos.
Utque tuum munus numerum, quem debet, haberet
Eſt ibi Cæſaribus Livia juncta ſuis.

Vultu Liviæ & nomine alicujus Deæ numiſmata ſecundi moduli extant apud omnes fere antiquarum rerum collectores. Sub veſtæ habitu Liviam exhibemus in hoc Cameo. Tacitus enim annal. lib. IV. c. 16.

decre-

T. XXIX.
TIBERIO
In Cameo
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.
P. Pesi

decretum esse refert *quoties Augusta theatrum introisset, ut sedes inter vestalium consideret.*

TABULA XXIX.

TIBERIUS.

TIBERIUS ex Livia Drusilla Tiberii Neronis filius, ab Augusto vitrico adoptatus, quo die Augustus moritur, imperium capessit. Post extinctos Cajum, & Lucium Cæsares, Liviam eorum matrem in uxorem acceperat. Princeps, ut ait Paterc. lib. 2. c. 94. *genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus*: sed omnium vitiorum compos, avaritia, libidine, & crudelitate contaminatissimus, post vitam turpissime actam Miseni in villa Luculliana moritur XVII. Kal. April. anno U.C. 790. Christi 37. ætatis 78. post Imperium annorum 22. mensium 7. Tiberii facinora vide apud Suetonium qui ita eum repræsentat cap. 68. *Corpore fuit amplo, atque robusto: statura, quæ justam excederet: latus ab humeris, & pectore: cæteris quoque membris usque ad imos pedes æqualis, & congruens; & colore erat candido, capillo pone occipitium submissiore, ut cervicem etiam obtegeret, facie honesta, cum prægrandibus oculis: incedebat cervice rigida, & obstipa, adducto fere vultu.* Sponius addit mentum ei breve, & projectum fuisse, quod signum est crudelitatis: uti iratos, & pœnam expetentes pressis labiis, & mento elato vindictam minari videmus.

Hæc de eo Julianus in Cæsaribus: Τέιτος ἐπεισέδραμεν αὐτοῖς Τιβέριος σεμνὸς τὰ πρόσωπα καὶ βλοσυρὸς, σώφρον τε ἅμα, καὶ πολεμικὸν βλέπων. *Tertius venit ad eos Tiberius gra-*

gravis vultu, & truculentus adspectu, sed prudentiam simul & virtutem militatem præ se ferens.

Tiberii adhuc juvenis vultum exhibemus in hac gemma, fortasse incisa eo tempore, quo ovationem, & triumphum egit propter tria, quæ feliciter gesserat bella; vel quando summa cum laude imperio dignum se ostendebat: unde sic Ausonius Tetrast. 3. in Tib.

Prænomen Tiberi nactus Nero, prima juventæ
Tempora laudato gessit in imperio.

TABULA XXX.

AGRIPPINA GERMANICI.

AGRIPPINA ex Julia Agrippæ filia, Augusti neptis, fœmina honestissimæ famæ, animi casti, & virilis, maritum sequuta in Germaniam, & in Syriam Ducis munia induit. Eo mortuo Romam reversa Pisonem judicio persequitur, quod veneno maritum interemisset, & ad spontaneam necem adigit, sed Liviæ ambitione, Sejanique artibus in suspicionem adducta est Tiberio nam *accedebant muliebres offensiones novercalibus Liviæ in Agrippinam stimulis, atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate, & mariti amore, quamvis indomitum animum in bonum vertebat.* Tacitus lib. 1. cap. 33. In insulam Pandatariam relegata misere & ex inedia occubuit. Hæc de ea Seneca in Octav. v. 933.

Tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippæ, nurus Augusti,
Cæsaris uxor, cujus nomen
Clarum toto fulsit in orbe;

Ute-

30
AGRIPPINA MAGGIORE
In Cameo
P.SBI

Utero toties enixa gravi
Pignora pacis: mox exilium,
Verbera, ſævas paſſa catenas
Funera, luctus, tandem lethum
Cruciata.

Faciem Agrippinæ ex nummis cognoſcimus: licet autem eruditiſſimus auctor obſervationum ſuper Muſ. Capitolin. aſſerat nullos reperiri maximi moduli, duos tamen vulgavit R. P. Baldinus in editione Numiſ. Præſtant. Vaillant. Tom. 3. quorum unus in Muſeo Regio Pariſienſi, alter in Muſeo Piſano adſervatur.

Agrippina in hac gemma capite laurea cingitur propter ſummam in re militari experientiam. Coma, quam vides negligenti contorſione pendulam, ejus vitam caſtrenſem & animi candorem præfigurat.

Agrippinæ cineres Romam transferri curavit Caligula ejus filius, qui illi Circenſes, & Carpentem, quo in pompa traduceretur inſtituit. Gruterus inſcript. num.4. & Patinus Imp. Numiſm. hanc inſcriptionem cum aliqua tamen diverſitate referunt.

OSSA
AGRIPPINAE . F. M. AGRIPPAE
DIVI . AVG. NEPTIS . VXORIS
GERMANICI . CAESARIS
MATRIS . CAESARIS . AVG.
GERMANICI . PRINCIPIS

TABULA XXXI.

GALBA.

SULPICIA gens inter Romanos nobilissima, teste Sueton. in Galba, paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphan Minois uxorem referebat, unde ita Silius Italicus lib. 8. ver. 470.

Rectorem magno spectabat nomine Galbam.
Huic genus orditur Minos, inclusaque tauro
Pasiphae

Unde cognomen Galbæ Sulpicii traxerint incertum: de hoc vide plura in Sueton. loco citato.

Ex ea familia ortus est Servius Sulpicius Galba anno U. C. 749. M. Valerio Messalla, & Cn. Lentulo Coss. Liberales artes edoctus consulatum obtinuit ab Augusto. Extincta in Nerone Cæsarum progenie, Imperium arripit in Hispania. Romam profectus Imperator a Senatu confirmatur: sed exacerbatus Otho, quod Pisonem adoptasset, Prætorianos in illum concitat, qui ad lacum Curtii eum jugulaverunt: *Plures autem prodiderunt obtulisse ultro jugulum & ut hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur hortatum.* Sueton. in Gal. c. 20. & c. 21. *Statura fuit justa, capite præcalvo, oculis cæruleis, adunco naso* quod est avaritiæ signum. Periit XVIII. Kal. Februarii anno U. C. 822. Christi 69., ætatis annorum 73. post 7. menses Imperii.

T. XXXI.
GALBA
In Ametisto
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.
P.S.E.F.

T. XXXII.
ADRIANO
In Granata
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

TABULA XXXII.

HADRIANUS.

IMPERATOR Hadrianus ex Italica oriundus, Romæ natus, a Trajano, cujus erat consobrinus, vel consobrinæ filius Imperator est renuntiatus. *Nec desunt, qui factione Plotinæ, mortuo jam Trajano, Hadrianum in adoptionem adscitum esse prodierint*. Spartianus. A Senatu absens confirmatur cum Antiochiæ esset. Bellum nullum movit, sed mota compescuit. Vir laborum patientissimus omnes Romani imperii provincias pedes invisit, & detecto capite. Artes liberales edoctus Poesin, Historiam, & Mathesin ita præsertim coluit, ut nemo eum antecelleret.

De illo hæc habentur in Dione lib. 68. in Traj. Ἀδριανὸς πρῶτος γενείαν κατέδειξε. *Hadrianus primus barbam nutrivit*. Et Julianus in Cæsaribus. Μετὰ τοῦτον ἐπεισέρχεται, βαθεῖαν ἔχων ὑπήνην ἀνὴρ σοβαρός. *Post hunc venit alius vir promissa barba venerabilis*. Hanc rationem reddit Spartianus: *ut vulnera quæ in facie naturalia erant tegeret*. Ob narium hæmorrhagiam tabe consumptus obiit Baiis in Campania VI. Id. Julii anno U.C. 891. Christi 138. ætatis annorum 62. mensium 5. dierum 17. Post imperii annos 20. menses 11. uno die minus. Senatores in quos sævierat, ejus acta irrita fieri volebant, prohibueruntque ne Divus appellaretur; attamen Antoninus inter Divos retulit, nummosque consecrationis ejus cudi curavit, unde Pii nomen sortitus est.

TABULA XXXIII.

ANTINOUS.

HADRIANUM ſequitur ejus Amaſius Antinous. Puer eximiæ formoſitatis natus Bithynæ quæ eſt Civitas Bithyniæ Hadriani amoribus famoſiſſimus periit in Nilo, quem cum Imperatore navigabat. Dion tamen refert Antinoum ſponte ſe devoviſſe in Sacrificio, quod pro ſalute Hadriani agebatur. *Quo autem loco is oppetiit urbem conditam ab eo denominavit* Hadrianus: *ejus ſtatuas per univerſum Orbem terrarum, atque etiam effigies erexit*. Præterea templa conſtrui, divinos honores decerni, ludicra quinquennalia inſtitui juſſit Imperator. De Agonibus, qui quotannis celebrabantur mentionem facit Euſebius Hiſt. Eccl. c. 10. *Ex quibus unus eſt Antinous Servus Hadriani Cæſaris, cui Agones annui celebrantur, qui Antinoii appellantur, noſtris adhuc temporibus inſtituti*. Non paucæ urbes in eum quem colebant Deum transformaverunt Antinoum: Arcades, Bithyni & alii ſub Mercurio; Ancyrani ſub Luno, Chalcedonenſes ſub Sole; Smyrnenſes ſub Baccho eum adorarunt. Hinc S. Hieronymus adv. Jovinianum. *Et ut ſciremus quales Deos ſemper Ægyptus recepiſſet, nuper ab Hadriano Amaſio Urbs eorum Antinois appellata eſt*. Et Prudentius contra Symmach. lib. 1. v. 271.

Quid loquar Antinoum cæleſti Sede locatum,
Illum delicias tunc divi Principis, illum
Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili
Hadrianique Dei Ganimedem.

Mul-

T. XXXIII.
ANTINOO
In Corniola
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.
Pers.


T. XXXIV.
MARCO AVRELIO
In Agatha
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
P. S. B. I.

Multa numiſmata cum ejus effigie percuſſa ſunt, & epigraphe ΑΝΤΙΝΟΟϹ ΗΡΟϹ. In alio nummo legimus ΟϹΤΙΛΙΟϹ ΜΑΡΚΕΛΛΟϹ Ο ΙΕΡΕΥϹ ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ ΤΟΙϹ ΑΚΑΙΟΙϹ ΑΝΕΘΗΚΕ. Illius conſecrationis hoc monumentum refertur a Caſaubono ad c. 4. Spart. in Had.

ΑΝΤΙΝΟΩ
ϹΥΝΘΡΟΝΩ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟϹ ΑΓΟΛΛΩΝΙΟϹ
ΓΡΟΦΗΤΗϹ.

TABULA XXXIV.

M. AURELIUS.

MARCUS Aurelius Annii Veri Fauſtinæ Senioris fratris, & Domitiæ Calvillæ filius *a principio vitæ tranquilliſſimus, adeo ut ab infantia vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaverit*. Aurel. Victor. decimo ſeptimo ætatis anno ab Antonino Pio adoptatur: illo mortuo a Senatu Auguſtus dicitur, & L. Verum in conſortium imperii vocat. Extincto Vero ſolus imperat: bella plurima feliciter geſſit: a puero philoſophiæ ſtudiis imbutus, Imperator factus ea non neglexit: *Operam præterea pingengendo ſub Magiſtro Diogneto dedit*. Capitolin. in M. Anton. *Iſte virtutum omnium cœleſtiſque ingenii extitit, ærumniſque publicis quaſi defenſor objectus eſt. Etenim niſi ad illa tempora natus eſſet, profecto quaſi uno lapſu ruiſſent omnia ſtatus Romani*. Aurel. Victor. in Marc. Aurel. Tandem infirma valetudine utens Vindobonæ vitam clauſit XVI. Kal. Aprilis

anno

anno U. C. 933. Christi 180. ætatis 58. cum mensibus 10. & diebus 22. quum imperasset annos 19. & dies 10.

Caput crispulum habuit, Barbam hispidam, imple xam, seu ὑπόνην βαθεῖαν, & plane philosophicæ densitatis, ut alicubi Arnobius loquitur. Erhar. Reusch. cap. 4.

Cur autem tot nummi, statuæ, & effigies Marci Aurelii reperiantur, discimus ex Capitolino in Marc. Anton. cap. 18. *Sacrilegus judicatus est, qui ejus imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit.*

TABULA XXXV.

CRISPINA.

CRISPINAM Fulvii Bruttii Præsentis bis Consulis filiam, Commodo, celerius, quam is vellet, conjunxit Pater M. Aurelius propter bellum Scythicum. Nuptiæ more privatorum celebratæ fuerunt, quamvis Commodus jam Cæsar esset renunciatus. In adulterio deprehensa in Insulam Capream relegata est, ubi paulo post jussu commodi occisa: an ex Commodo filios susceperit, videtur incertum: attamen apud Vaillant. Numis. prest. edit. Rom. Tom. II. hæc habentur: *Crispina per fecunditatem, & puerulum in nummis ejus depictum, Commodum fecisse patrem indicatur.*

Idem Vaillantius Tom. I. colon. refert nummum Græcum in quo Crispina ΒΡΟΥΤΤΙΗ a Patre Bruttio appellatur.

TA-

T. XXXIV
CRISPINA
In Diaspro
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

T. XXXVI.
SETTIMIO SEVERO
In Corniola

TABULA XXXVI.

L. SEPTIMIUS SEVERUS.

LUCIUS Sept. Severus oriundus ex Africa Provincia Tripolitana, Oppido Lepti ex equeſtri familia, literis, & armis inſignis per omnes gradus tranſiens, tandem Imperato eligitur a legionibus Illyrici. Armatus Romam properat contra Did. Julianum & eum interficit. Peſcennium Nigrum in Oriente & Albinum in Gallia Imperii æmulos vincit & ſolus Imperio potitur; inde contra Perſas & Parthos bella movet & debellat. Præclaris facinoribus æque, ac ſævitia inſignem Senatus judicavit, illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori, quod & nimis crudelis, & nimis utilis Reip. videretur: *fuit bellicoſiſſimus omnium qui ante eum fuerunt: acer ingenio ad omnia quæ intendiſſet in finem perſeverans: benevolentia, quo inclinaſſet, mirabili ac perpetua, ad quęrendum diligens, ad largiendum liberalis: in amicos, inimicoſque pariter vehemens*. Sext. Aurel. Epit. n. 20. quum expeditionem ſuſcepiſſet in Britannos, Eboraci morbo correptus periit prid. Non. Februarii anno U. C. 964. Chriſti 211. quum eſſet annorum 65. Menſium 8. dierum 25. poſt Imperii annos 17. menſes 8. & dies 3. Multi exiſtimant mortem illi medicorum ope acceleratam fuiſſe, Caracalla filio inſtigante, Antoninum Baſſianum nuncupatum Caracallam, & Septimium Getam filios, Imperatores ſimul teſtamento declaravit, tutoremque Papinianum virum juſtiſſimum dedit.

TABULA XXXVII.

L. SEPT. SEVERUS ET FILII.

QUUM Filius Imperatoris, vel quivis alius Cæsar declarabatur, statim sub ejus vultu, sed semper capite nudo percutiebantur nummi. At vero in hac gemma Antoninus Caracalla & Septimius Geta Capite laureato exhibentur: unde eam fuisse incisam existimarem extremis Imperii Sept. Severi diebus: tunc enim filios suos Augustos dici & haberi passus est: *Jussit* Severus *quum videret se perurgeri sub hora mortis, ut alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis fortuna portaretur*. Spartianus.

Severus a victoria coronatur, non modo propter expeditionem Britannicam, sed quia ut refert Herodianus, *clarissimus omnium Imperator bellicis operibus: neque enim aut civiles quisquam adversus inimicos, aut externas adversus barbaras totidem alius victorias reportavit*.

R. P. Baldinus in edit. Rom. Numis. Præstant. Joan. Vaillantii Tom. II. pag. 215. præclarissimum vulgavit Nummum aureum ex Museo D. De Cleves, in quo Domus Sept. Severi capita omnia exhibentur. Vide illius interpretationem, qua & usi sumus pro Gemmæ nostræ elucidatione.

TA-

T. XXXVII.
SETTIMIO SEVERO
E LI FIGLIOLI.
In Ametisto.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.

T. XXXVIII
ALESSANDRO SEVERO.
In Corniola
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

TABULA XXXVIII.

ALEXANDER SEVERUS.

MARCUS Aurelius Severus Alexander a consobrino Elagabolo licet annis minore Cæsar nuncupatus est, & adoptatus; mox ob solam causam quod ingenii esset moderati vitæ insidias struxit Elagabalus; sed a Prætorianis Augustus dicitur, & a Senatu comprobatur statim ab Elagabali cæde. Princeps omni virtutum genere insignis, in omnibus disciplinis egregie institutus, Parthos & Persas devicit, quumque contra Germanos exercitum comparasset dolis Maximini juxta Moguntiam trucidatus est a Militibus quibus exosus erat propter summam Matris avaritiam. Periit XIX. Kal. Aprilis anno U. C. 988. Christi 235. annum agens 26. cum 5. mensibus, & diebus 19. quum imperasset annos 13. & dies 9.

In hac nostra gemma nihil observatu dignum, nisi ægis quam habet ad pectus de qua sic Servius in Æneid. lib.8. Ver.415. *Ægis propriè est munimentum pectoris æreum habens in medium Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit, ægis vocatur: si in pectore hominis sicut in antiquis Imperatorum statuis videmus, Lorica dicitur.* Existimo autem Alexandrum Severum ægide indutum exhiberi eadem ratione, ac induebatur Domitianus scilicet *ut sui admirationem apud omnes incuteret*. Pier. Valer. lib.32. Caput verb. terror.

TA-

TABULA XXXIX.

CONSTANTINUS MAGNUS.

FLAVIUS Valerius Constantinus mortuo Patre Constantio Eboraci anno Christi 306. statim ab exercitu Augustus dicitur, sed & paulo post Cæsar a Galerio Maximiano nuncupatur. Quum Maxentius Imperium arripuisset contra illum Romam properat, & ad Pontem Milvium post Crucis apparitionem Tyrannum profligat, qui in Tyberi mergitur anno Imperii sexto; Multas alias victorias reportavit, Byzantium ædificavit & suo nomine Constantinopolim appellavit, Christianam Religionem amplexus pacem Ecclesiæ restituit, & anno Christi 325. Concilio Nicæno contra Arianos celebrato interfuit. Tandem in suburbiis Nicomediæ obiit post 30. annos 9. menses, & dies 27. Imperii, XI. Kal. Julii, ætatis annorum 63., mensium 2. & dierum 25. anno U. C. 1090.

Alexander Severus sanxerat *ut viri in universum inaures non haberent, & matronæ contentæ deberent esse uno reticulo*; Æl. Lamprid. in Alex. Sev. Hoc decretum abolitum fuisse tempore Constantini probabile est, quum ipse Imperator in hac nostra gemma cum inauribus exhibeatur; quem usum sibi soli reservasse non est verisimile. Capite laurea cingitur & tanquam Imperator, & tanquam barbararum gentium debellator. Diademate tamen libentius caput exornabat ut ait Victor. in Epit. c.60. *Habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate*.

Monogramma Christi, quod habet ad pectus, cernitur etiam in ejus nummis. Hoc ita describit Eusebius

39
COSTANTINO MASSIMO
In Cameo in Niccolo.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.

T.XL.
SACERDOTE
In Corniola
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odoscalchi.

ſebius lib. I. de Vita Conſtantini: *linea tranſverſa per mediam litteram P. ducta*. Et S. Hieron. Epiſt. ad Lætam: *Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli Salvatoris ciphra condecorat*. Hoc monogramma in jubis, ſcutis Loricis &c. Conſtantinus inſculptus voluit.

TABULA XL.

SACERDOS.

DE Thiaris ſine acumine, & quæ in modum mediæ ſpheræ fiebant, loquitur Sanctus Hieronymus Epiſt. ad Fabiol. utrum Sacerdos, quam in hac Carneola exhibemus, hac thiara capite ornetur, an potius velamento tegatur, videant viri eruditi: communis omnium Flaminum & Sacerdotum erat lex ab Hebræis petita Levit. cap. 10. v. 6. ut capite velato ſacra peragerent. Imo plerique Deos precaturi velato erant capite. Hinc Juvenal. Sat. 6. v. 390.

. . . . Stetit, ante Aram nec turpe putavit
Pro cithara velare caput.

Sub hujus Sacerdotis effigie Nummam Pompilium repreſentari exiſtimo cum omnia oris delineamenta Regis Romanorum habeat. Sacerdotis inſignia Nummæ Pompilio competunt, qui cultum Deorum & ritus ſacros inſtituit.

TABULA XLI.

LARVA SCENICA.

OMICÆ *perſonæ veteris quidem comediæ, plerumque hominibus, quos ſugillabant, ſimiles erant, aut majori cum ludibrio effingebantur* . Pollux lib. 4. Segm. 143. hinc omnes illæ Larvæ horribiles & monſtroſæ quæ nobis ſuperſunt ex antiquis Romanis, & quarum ampliſſimam deſcriptionem dedit Franciſcus Ficoroni in libro cui titulus: *Le Maſchere Sceniche degli antichi Romani*, Omnes fere quaſi terrifico oris hiatu ſpectatores devorare videbantur: idcirco Juvenalis Sat. 3.

. . . . Perſonæ pallentis hiatum
Maris formidat ruſticus infans
In gremio

Qua materia conficerentur larvæ diſcimus ex Prudentio in Symmac. lib. 2.

Ut Trogicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.

Et juxta Virgil. Georg. lib. 2. ex arborum corticibus componebantur.

Vertibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto,
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis.

Non modo vultum, ſed totum caput tegebat Larva Comica: *nam caput & os cooperimento perſonæ tectum undique, unaque tantum vocis emittendæ via pervium, qua non vaga, neque diffuſa eſt, in unum tantummodo exitum collectam, coactamque vocem, & magis claros, canoroſque ſonitus facit*. Gell. lib. 5. cap. 7.

Lar-

T. XLI.
MASCHERA SCENICA
In Cameo
Nel Tesoro di S. Alte. il Duca Odescalchi.
P. S. R. I.

T. XLII.
MASCHERA BACCANALI
DI SILENO
In Corniola
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

T. XLIII.
CAPITA INCOGNITA
In Diaspro Rosso
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

Larva quam exhibemus capillos habet bene comptos & calamiſtratos, fortaſſe in deriſionem eorum qui comam nimia cura nutriunt & componunt.

TABULA XLII.

LARVA SILENI.

USUS Scenæ theatralis Drammaticæque Poeſeos author fuit Bacchus illique Larvæ erant dicatæ. Silenus adjungitur Baccho, cum quo multa etiam templa habuit communia, hinc eſt quod in Scenam introducebant antiqui Satyros, Silenos, Faunos, ut conſtat ex Epiſt. Horatii ad Piſon. v. 231, & 224.

Quoniam Edera Baccho dicata erat, ideo Sileni ea coronabantur ut exhibet noſtra hæc Gemma. Barba prolixa & hos hiatus ut plurimum communia ſunt Larvis.

TABULA XLIII.

CAPITA INCOGNITA.

MOS erat apud antiquos vel proprias vel majorum ſuorum effigies in gemmis cælatas geſtare: hinc infinita propemodum illa capita incognita quæ quotidie reperimus, quibuſque audacter nomina Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, aliorumque virorum illuſtrium imponere placuit quibuſdam antiquariis. Duo capita ſeſe invicem reſpicientia cum litteris græcis injuria temporum pæne deletis vulgavit Leonard. Auguſt. de Gemm. & Sculpt. Antiq.

Antiq. p. c. n. 44. Eadem ipsa exhibentur in hac Tabula, nominaque eorum fuisse existimarem Tramehios, & Kraetios littera M inserviente pro A, & M, ut sæpius in inscriptionibus accidit. An vero viri illi parentes vel amici, literis an armis fuerint insignes ego quidem plane ignoro.

TABULA XLIV.
CAPUT INCOGNITUM.

CAPUT frondibus redimitum cum vittis super collo dependentibus exhibet hæc carneola, & fortasse caput est cujusdam fœminæ Sacerdotalis. Vittæ enim insignia sunt Sacerdotii, ut Ovidius de Rhea Silvia:

Ignibus Iliacis aderam, quum sparsa capillis
Decidit ante Sacros lanea vitta comas.

TABULÆ XLV. XLVI.
CAPITA INCOGNITA.

IN istis Tabulis duo alia capita incognita proferuntur; licet diversus sit capillorum ornatus, diverso tempore incisas fuisse has gemmas asserere non audemus nam teste Montfauconio Tom. III. lib. I. cap. ult. n. 4. *Ornatus capitis mulierum, semper fuit variis mutationibus obnoxius, tum apud Græcos, tum apud Romanos. Ornatuum porro variorum nomina efferre, non humanæ esset facultatis: eorum magnam diversitatem jam vidimus in statuis, atque protomis Augustarum, aliarum-*

T. XLIV.
TESTA INCOGNITA.
In Corniola
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
D.S.B.I

T. XLV.
TESTA INCOGNITA.
In Smeraldo
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi.

T. XLVI.
TESTA INCOGNITA.
In Corniola.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
P. Fol.

rumque mulierum. Fœminæ certe etiam primariæ, & Augustæ calamistratam comam, & capillum compositum sibi decori esse duxerunt; quare hoc etiam nomine Violantillam Stellæ nuptam dilaudat Statius Silv.2. v. 113.cum dicit.

Celsæ procul aspice frontis honorem
Suggestumque comæ

Quo Suggestu significatur πύργος πλόκλαμος idest tutulus cincinnorum, seu capillorum globus, quos ad verticem convolutos in modum turris gerebant, *Turritam frontem* vocat Lucanus *Turritum verticem* D. Prosper epist. ad Demetriad. *Turritum caput* Prudent. Psycom. Ita Claudius Bertald. in notis Statii ad usum Serenissimi Delphini. E contrario ignominiosum existimabant calvas apparere. Hinc usus decalvandi adulteras, de quo Fab. Semest.III. 21. & 22. Fœminas item Christianas ab Ethnicis ignominiæ causa decalvatas legimus in actis S. Martinæ cap. 6. & in actis S. Faustæ & in illis S. Charitiniæ. In gravi tamen luctu tondere comas mulieres Græcas fuisse solitas liquet ex illo Eurip. in Alceste v.426.

Jubeo communem esse luctum hujus mulieris
Cæsarie rasa, & nigra veste.

TABULA XLVII.

C. MARIUS.

PROTOMAM hanc idcirco etiam inter Tomi hujus postremas posuimus, quod non omnino certum esse, cujus viri sit effigies, existimavimus. Vultus tamen convenire non parum videtur cum illo C. Marii, cujus statua visitur in Aula maxima Musæi Capitolini eodem ferme vestimenti genere, cumque protome illa, quæ in Ædibus Barberinis conspicitur, & quam in ære jampridem incisam Causæus refert in Musæo Romano Tom. 1. sect. 2. Tab. 55. Aliam ejusdem figuram impressam in Achate videsis in hoc ipso Musæo Odescalcho Tab. 26. tom. 1. ubi Henricus Brulæus, multa de Caii Marii rebus gestis jam attigit. Ego hic addam alia quædam: eum scilicet Municipem M. T. Ciceronis fuisse; utpote qui Arpini humili loco natus erat Patre C. Mario, Matre vero Fulcinia, a qua in villa Civernate educatus. Hæc villa, teste D. Bernardo Javelli Arpinate, & Monacho Cassinate lib. 1. *Antica Arpino*, sita erat ubi nunc *il Campo di S. Altissima*. Atque ibidem consita fuisse creditur quercus illa glandifera, ex qua olim evolavit.

Nuntia fulva Jovis miranda visa figura aquila nimirum, quæ in cunas, ubi Infans puer Marius jacebat septem pullos deportavit, totidem futuros ejus Consulatus prænuncians. Præclara facinora fere omnia Inscriptio, quam affert Brulæus, quæque est etiam apud Gruterum, complectitur. Suppletam tamen fuisse clare ostendit Anton. Augustin. Dialog. X.

An-

RITRATTO INCOGNITO
47
In Agata
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
PSBI

Antiq. cum in fragmento hæc verba, atque hoc modo ſolum extarent.

— AVGVR TR MIL EXTRA
— VGVRTHA REG NVMID
— TRIVMPHANS IN
— ANTE CVRRVM SVVM
— NSVL APSENS CREATVS
— ORVM EXERCITVM.
— CIMBROS FVGAVIT EX IEIS
— HAVIT REMP TVRBATAM.

In eaque opinione eſt idem Auguſtinus hoſtes ejus memoriam eradere conatos eſſe? Quod attinet ad nummos hæc de illo tradit Dialog. XII. *rerum longe his antiquior C. Marius Arpinas .... in nummis cuſum caput edidit Neptuni, capillis, barbaque promiſſis undarumque fluentium modo compoſitis quaſi a mari Marii nomen derivaret ſuum cum Delphino, ac tridenti inſcriptumque C. Marius C. F. At a tergo in biga habenas regentem cernas hippocampos, ſub quibus Delphinus eſt circumplexam cuſtodiens anchoram. Significabat nimirum; quantum ego conſcio ... poſt Conſulatum ſextum Urbe pulſi, ac proſcripti Marii fugam ... Ad quem in palude delitescentis caſum C. Marii Maronem in Sinonis verſipellis perſona reſpexiſſe equidem eruditis hominibus cur non aſſentiar? Sic enim Poetarum Latinorum Princeps:*

Limoſoque lacu per noctem obſcurus in ulva
Delitui dum vela darent, ſi forte dediſſent
Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi?

Septi-

Septimi Consulatus initio morbo oppressus decessit vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus quietisque impatientissimus, ut ait Vellejus l. 2. c. 23. Auctor de viris Illustribus scribit, voluntariam sibi conscivisse mortem.

Eum pluribus locis laudibus effert M. Tullius, qui juvenili ætate librum, qui Marius inscribebatur, confecit: a Mario denominata loca plura sunt v. g. Marianæ fossæ, quod est Narbonensis Provinciæ oppidum hodie Fos ita dictum a vicina fossa, quæ a C. Mario fuit usque ad mare perducta Ptol. l. 2. c. 10. Plin. l. 3. cap. 4. Strab. l. 4. Mariana Colonia Corsicæ Insulæ Civitas, ubi nunc *Provincia di Mariana*; Mariana Castra h. e. Camairano Insubriæ Transpadanæ pagus; Mariana villa ad caput Aquæ Ferentinæ nunc Marino, quæ & Marianus fundus, Marianum prædium & Marianum sine addito. Vide Vulpium. Vet. Latium Profan. tom. 7. cap. x. Quamquam Blondus, ut refert Leander Albertus, Marianam villam extitisse opinatus est, ubi nunc Zagarolo. Villa alia existimatur fuisse Casamarium prope Verulas, ubi nunc Cisterciensium severiorum observantiæ Cœnobium. Montem Marium, qui certe est unus ex Vaticanis Octavius Panzirolus, quem sequitur Bartholomeus Piazza, putat inde dictum, quod bello mithridatico confecto, Marius Romam rediens ibi castra posuerit. Alii tamen à recentiori Mario ex nobili Mellinorum Familia cujus ibi villa amœnissima. Argumenta certa ad alterutram opinionem amplectendam non suppetunt. Mariani præterea Muli erant, furculæ, quibus religatas sarcinas viatores gerunt a C. Mario ita nuncupati, qui illorum usum invenit. Quod attinet ad Marii de Teuthonis, & Cimbris Trophæa marmorea, quæ ex Castello Aquæ

Mar-

CLAVDIO
46
In Diaspro Verde
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
PSBI

Marciæ ad S. Eusebium in Capitolium translata sunt, Donatus nihil dubitat, quin ad Trajanum pertineant. Ligorius Marii plane esse negat. Celsus Cittadini Domitiano Cæsari adscribit. Famianus Nardini pugnaciter communem sententiam defendit. Unusquisque perpensis hinc, atque inde rationum momentis, quid sentiendum sibi sit pro suo ingenio, judicioque consideret.

TABULA XLVIII.

CLAUDIUS.

IN hoc etiam Jaspide valde mihi dubium est, an Claudii vere forma exprimatur. Cæterum similis plane protomæ illi est[1], quam D. Abbas Ridolphinus Venuti in Collectaneis Romanarum antiquitatum exponit. Nec multum ab imagine discrepat, quæ in Sarda grandiuscula cernitur apud Jo. Martinum ab Erbemayer.[2] Claudius itaque Drusi, & Antoniæ minoris filius Lugduni natus est Kal. Aug. ab U. C. DCCXLIII. Julio Africano, & Fabio Africano Coss. quamvis autem infans puer relictus a Patre ob graves, diuturnosque morbos, ingenio hebeti, corpore infirmo, neque ad publica privataque munera exercenda idoneus existimaretur, & in eum jam demortuum Seneca Philosophus Apocolochynthosim conscripserit, perinde ac si ob insignem stultitiam esset apud inferos in cucurbitam transformatus; non omnino tamen ignarum ac rudem fuisse declarant quadraginta, & unus Historiarum libri, quos a prima ipsa ætate in lucem edidit; volumina item octo de

(1) Tab. 18. pag. 13.

(2) Cap. IIII. CLIIII. Capita Deorum &c.

vita ſua; defenſio Ciceronis adverſus Aſinii Galli libros ſatis erudita; nec non Græcæ Hiſtoriæ, & Thyrrenicorum libri xx. & octo Carchedoniacorum. Ejus certe vita, libidine, ebrietate, flagitiiſque aliis infamis fuit. Non defuit ei tamen indulgentiæ, liberalitatis, ac pietatis laus; immo & modeſtiæ, utpote qui Imperatoris prænomen non adhibere ſolitus fuerit, & honores immodicos recuſare? Quod attinet ad militarem virtutem in Britanniam ad bellum profectus tumultuantem provinciam vicit, & in deditionem accepit. Magnificentiæ vero documentum eſt maximum Aquæductus ab eo in Urbem perductus, cujus veſtigia permanent ad portam Næviam, ſive, ut nunc appellant Majorem cum inſcriptione celeberrima:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆSAR. AVGVSTVS.
GERMANICVS. PONTIF. MAXIM. TRIBVNICIA. POTESTATE.
XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIÆ.
AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI.
VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS.
A. MILLIARIO. XXXXV. ITEM. ANIENEM. NOVAM.
A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN.
VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT.

In id opus erogata ſunt talentum ſexaginta millia; quorum rationem cum putaret Budæus auri, ut vulgo loquimur, Millionem, ac CCCLXXV. millia Coronatorum, & quingentos efficere docuit[1]. Ad hæc Oſtienſem Portum in eo plane loco, qui nunc Portus dicitur, in dextero nimirum Tiberis alveo duobus millibus paſſuum ab Urbe Oſtia conſtruxit. Neque enim ab eo alius circumcirca Portus extitit, contra quam ſenſerint

(1) Vide Jacob. Strada Theſaur. Antiq. ſive Imag. Imperat.

ſerint Mabill. Muſ. Ital. Tom. 1. pag. 153. & Havercamp. Tab. 4. pag. 30. n. 26. quod aperte demonſtrat humaniſſimus D. Marchio Jo: Petrus Lucatelli in diſſertatione mihi a ſe dono data *del Porto d'Oſtia &c.* Ædificationis vero modum, ac tempus Tranquillus Svetonius ſic narrat [1]: *Ægre poſt undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus ſine intermiſſione operantibus Portum Oſtiæ extruxit circumdato dextero, ſiniſtroque brachio, & ad introitum profundo jam ſalo mole objecta; quam quo ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus, congeſtiſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes curſum dirigerent*: deceſſit III. Id. Oct. Aſinio Marcello, & Acilio Aviola Coſs. LXIII. ætatis anno; Imperii XIII. *Funeratuſque eſt*, inquit Svetonius, *ſolemni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus*. Quo mortis genere extinctus fuerit, non ſatis conſtat. Veneno certe. Suſpicio fuit, boleto medicato ab Agrippina uxore interfectum; quo reſpexiſſe viſus Martial. l. 1. ep. 2. in Cæcil.

Quid dignum tanto tibi ventre, gulaque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

TA-

(1) In Claud. cap. 20.

TABULA XLIX.

VENUS.

CHRYSTALLINA hæc effigies inter incognitas numerari videtur posse. De ea P. Felicianus Bussi in MMSS. hæc habet a me latine reddita. *Venerem, quæ chrystallina hac protome repræsentatur, adducor ut credam, eamdem illam esse, quam Græci Apostrophiam, hoc est Aversatricem dixerunt; quandoquidem veste undique circumtectam aspicio. Etenim turpium rerum ab animis cogitationes depellens ab impuris voluptatibus abhorrebat. Quamquam & Venus fortasse illa est, quæ ab iisdem olim Græcis Venus Cælestis est dictitata, a qua purum castumque amorem dimanare putabant.* Et paulo post: *Fascia, qua præcinctam habet frontem, ut litteratis hominibus notum est non solum Regibus, sed etiam Numinibus aptabatur.* Ob idipsum nescio, an etiam caput Augustæ alicujus esse possit. De utraque illa Venere Rhodig. lib. XIV. lect. Antiq. c. 6. *Apud Thebanos Veneris simulacra ab Harmonia dicata cognominibus additis esse*, ait. *Unam*, inquit, *Venerem Uraniæ honestavit insigni amoris ratione puri, sincerique .... Tertiam Apostrophiam voluit cognominari, velut præpotentem ab impiis operibus, impiisque desideriis humanum avertere genus.* Harmonia, quæ hujusmodi simulacra Thebis dicaverat, fuit Veneris, & Cadmi filia. Vide Ovid. lib. 4. Metam.

FINIS.

VENERE
49
In Cristallo di Monte.
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi
P.S.B.I.